This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BR
65
T59G6



TERTULLIANEA

SCRIPSIT

HENRICUS GOMPERZ.

RECENSIONIS EXEMPLAR

VINDOBONAE
IN AEDIBUS ALFREDI HOELDERI
1895.

YC159910

Sather

GIFT OF
JANE K. SATHER

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

TERTULLIANEA

SCRIPSIT

HENRICUS GOMPERZ.

VINDOBONAE

IN AEDIBUS ALFREDI HOELDERI

1895.

BR65
T59

UNIV. OF
CALIFORNIA

PARENTIBUS CARISSIMIS

QUINQUE LUSTRA MATRIMONII

FELICISSIME PERACTA

GRATULATUR AUCTOR

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO DEDICANS.

A. D. VI ID. AUG. MDCCCLXXXXIIII.

266484

UNIV. OF CALIFORNIA

In ipso huius prooemii limine summo viro gratias agere debeo quam maximas, Adolphum Harnackium dico theologum, quippe qui, cum universitatem Berolinensem adiissem, civitatis fideique diversitatis nulla prorsus habita ratione me benignissime exceperit, ad seminarium suum admiserit, omnibus modis ecclesiasticae historiae operam navantem adiuverit, — denique etiam ad Tertullianum legendum primus impulerit. Verum ut scripta Tertullianea grammatica quoque ratione tractem, alter me exhortatus est vir doctissimus, Hermannus Dilesius, cuius propensa erga me voluntate, quam gratissimo animo recolo, factum est, ut aliquam huius opusculi particulam in exercitationibus criticis, quibus praeest ille vir clarissimus, proponere atque defendere mihi liceret.

Itaque centum fere adnotationes conscripsi ad eos Tertulliani libros, qui continentur in editionis Reifferscheidianae tomo primo (corp. script. ecclesiast. Lat. vol. XX) anno 1890 publici iuris facto. Sunt autem ii libelli *de spectaculis, de idololatria, ad nationes duo, de testimonio animae, scorpiace, de oratione, de baptismo, de pudicitia, de ieiunio adversus psychicos, de anima.* Denique appendicis loco perpaucas addidi

adnotationes ad eiusdem auctoris *apologeticum* et librum *de corona*, in quibus tractandis maiore Francisci Oehleri editione (Lipsiae 1851) usus sum.

Quo in opere conficiendo maximo usui mihi fuisse fateor quattuor illas dissertationes, quas conscripsit Guilelmus de Hartel, vir de scriptis Tertullianeis egregie meritus, quibusque inscriptum est: Patristische Studien I—IV (Sitzungsberichte der k. Akademie der Wissenschaften zu Wien. Philosophisch-historische Classe. Bdd. 120, 121). — Praeterea dimidia fere opusculi parte absoluta obvenit mihi Aemilii Kroymanni libellus utilissimus, cui inscribitur: Quaestiones Tertullianeae criticae (Oeniponte 1894). Quo libro permultis locis Tertulliano sua reddita, praecipue vero argutiae auctoris subtilissimi optime explicatae sunt. Accidit autem casu, ut nonnulla contineat, quae ego quoque suspicatus eram. Quorum ex numero haec enotanda duxi, quo facilius fidem inveniant, quae a duobus simul reperta sint: in c. 13, libri de idololatria (Reiff., p. 44, v. 26—27) et ego scripseram: *non ergo, inquis, recipiam meum vel rependam alienum?* (Kroym., p. 28); in c. 20, libri I ad nationes (p. 92, v. 15): *redigit conscientia veritatem* (Kroym. p. 45); in c. 5, libri II ad nationes (p. 103, v. 5): ⟨*de*⟩ *beneficiis* (Kroym., p. 50); in c. 22, libri de oratione (p. 195, v. 9—10): — *adiectionem, virginibus — velamentum. Excusetur* — (Kroym., p. 72); in c. 6 libri de anima (p. 307, v. 18): *alienata* (Kroym., p. 103); in c. 15 eiusdem libri (p. 320, v. 10): *quo, si fuisset, amisso* — (Kroym., p. 107). Denique in c. 40 eiusdem libri (p. 367, v. 13) ipse prius animadverteram dittographiam esse verbum *recenseatur*, et miro quodam casu eundem lusum verborum restituere canatus eram, quem et Fr. Leo suspicatum esse Kroym. refert (p. 115): *tamdiu immunda, quamdiu* ⟨*in mundo*⟩. In nonnullis vero locis emendandis explicandisque Kroymanni ingenium minus profecisse

crediderim. Quorum ex numero de eis tantum infra disseram, quos ipse sive coniectura leniore sanasse sive interpretatione iustiore explicasse mihi visus sum. — Item librum viri doctissimi van der Vliet (Lugd. Bat. 1891), cui inscribitur: Studia ecclesiastica, pars prior sero inspicere eoque uti mihi licuit. — Denique ex animo gratias ago Stowassero praeceptori dilectissimo, qui benignissime, immo amicissime in plagulis corrigendis me adiuverit aliquot insuper coniecturis iisque sagacissimis mecum communicatis.

Sed haec hactenus. Superest, ut brevissime repetam, quod iam omnibus notum est, qui Tertulliani scriptis incubuerunt. Dicendum enim mihi est de codicibus, qui in horum librorum textu recensendo in usum veniant. Sunt autemii quinque, ex quibus tres hodie deperiere.

Atque primum quidem omnium longe optimus Ambrosianus est G 58 (D). Qui tamen nihil continet nisi libri de oratione capp. 9—29.

Proximus vero pretio ei accedit Parisinus Latinus 1622, qui vulgo dicitur Agobardinus (A), in quo ex eis libris, de quibus hic disseremus, adhuc supersunt hi: *ad nationes duo, scorpiace, de testimonio animae, de spectaculis, de idololatria, de anima, de oratione.* Quorum in librorum textu constituendo plane hic codex maximum subsidium est. Et vetustate enim (IX saec.) et stirpis proprietate ceteros longe superare videtur. Librarius autem, ut Maximiliani Klussmanni verbis utar (Curarum Tertullianearum particulae I et II, p. 18): „mira quadam et misera constantia dimidias aut universas sententias omittere solet, ubi a similibus aut syllabis aut vocabulis eius oculus aberravit.“ Cuius erroris vestigia planissime apparent in quattuor illis foliis (169—171), quae cum D comparare nobis licet. Quibus rebus ad depravandum codicem accessit vis temporis, quae miserrime eum tractavit, ut libri duo ad

nationes lacunis scateant, in aliis vero libris quoque sescentis fere locis aut syllabae aut litterae desint.

Agobardinus vero solus est, si de D taceamus, ex codicibus, qui adhuc exstat: ceteri perierunt. Quorum primo usus est Ioh. Gangneius in editione sua (B), quae prodiit Parisiis anno 1545. Quem codicem peioris notae fuisse satis iam constat. Praeter hunc autem et ipso Agobardino usum esse Gangneium in recensendis eis libris, quos ille continet, probavit Ernestus Klussmannus in sua libri *de spectaculis* editione. Ita tamen usus est, ut plerumque Ag. lectiones in margine (Bmg) tantum adscripserit in ipso textu constituendo alterum secutus. In illis tamen libris, ubi A deficit, *de baptismo* scilicet, *de pudicitia, de ieiunio,* solo altero codice nititur. Hic igitur, quae in margine editionis Gangneianae leguntur, ipsius ingenio debentur (cf. Kroym., p. 10). Praeterea aut sui codicis librarium aut ipsum Gangneium interpolationibus plurimum peccasse innumeris fere locis Hartelius atque Kroymannus demonstraverunt.

Affinis huic codici fuit ille (cf. Kroym., p. 7), quo usus est Gelenius (Gel) in editione sua (Basil. 1550). Fuit autem ex ipsius testimonio „liber incorruptissimus ex coenobio ultimae Britanniae Masburensi petitus“. Sed nec Gelenius usquam adnotandum duxit, quid codici illi, quid vetustioribus editionibus, quid ipsius ingenio debeatur „in emendando quidem felicissimo“ (Kroym., p. 8), saepissime tamen temerariis mutationibus additionibus omissionibus parum abstinenti. Itaque in illis libris, quos B et Gel tradunt, a B semper fere exordium sumendum est, ut recte monuit Kroym., p. 8.

Superest, ut mentionem faciam illius codicis, qui dicitur liber Ioannis Clementis Angli (C), cuius lectiones nonnullas editioni suae adscripsit Pamelius (Antwerp. 1579). De quo libro aliquanto plura hic disserere lubet. Puto enim non tanti

fecisse hunc codicem viros doctos, quanti faciendus est. Atque continebat ille, quantum scimus, libros *de spectaculis, de praescriptione haereticorum, de resurrectione carnis, de monogamia, de ieiunio, de pudicitia.* Et primum quidem quin longe melioris notae hic sit quam Gangnei atque Gelenii libri, nemo dubitat. Multa enim continet, quae illi omittunt, alia sana tradit, quae illi depravata habent. Quam ob rem et Reiff. in edendis libris *de pudicita* et *de ieiunio* lectiones eius Gangnei corruptelis merito praetulit (cf. et Kroym., p. 9). Nemo vero adhuc cum A hunc codicem comparasse videtur, quamquam eiusmodi collatio fieri poterat in libris *de spectaculis* et *de praescriptione haereticorum.* Quae igitur de hac re repperi, hic brevissime adnotabo; alia eaque plura ad singulos locos afferam.

Et primum quidem C cum A contra B (aliosve eiusdem familiae codices) facit sex locis: Reiff., p. 3, v. 24, ubi *societatem* praebent pro *satietatem;* p. 10, v. 28, ubi *transiit* (A *trasiit*) pro *transit;* p. 12, v. 26, ubi *fluxu* pro *flexu;* p. 17, v. 16, ubi *factitantibus* (A *facitantibus*) pro *facientibus;* Oehl. II, p. 6. 12, ubi *martyras* pro *martyres;* p. 19. 11, ubi *accepit* pro *suscepit.* Quorum locorum plerisque coniectando vix ortae esse possunt libri Clem. lectiones. Hic loci id quoque adnotandum sit C bis, in libro *de pudicita* (Reiff., p. 247, v. 5) et *de ieiunio* (p. 284, v. 20), praebere *ne qui,* quod A quidem usque-quaque exhibet, B autem semper fere in *ne quis* corrupit. Praeterea tribus locis A et C praebent voculas quasdam in B (aliisve codicibus) omissas: Reiff., p. 13, v. 22 vocem *tituli;* p. 14, v. 6 vocem *eius;* Oehl. II, p. 25. 1 vocem *forte.*

Haec vero iam id probant, C non eiusdem stirpis esse cum codicibus Gangnei atque Gelenii. At id quoque demonstrari potest, C non ab A, sed ab ipso archetypo pendere. Nam et si omittas dubia quaedam, quae coniecturae deberi

possunt (ut Oehl. II, p. 4. 14, p. 23. 12), restant tamen loci aliquot, de quibus infra dicendum erit, ubi verum ex C restitui potest, ex A autem non potest: id quod uno quidem loco et Hartelius animadvertisse videtur (Patr. Stud. I, p. 38), cum loco difficillimo (Reiff., p. 28, v. 24) optime sanato adiciat: Es bedarf — zur vollständigen Herstellung der Worte nur noch der Lesart *Christianis*, welche C bestätigt. Item Kroym., p. 16 ad locum illum (p. 2, v. 3) lectionem libri Clem. contra A et B vindicare conatus est. Plane autem maximi pretii est codex talis, qui ceteris corruptis veritatis vestigia servet. — Quod autem Kroymannus ait (p. 10): et C „peioris fuisse notae et coniecturis depravatum — cum ad rem accessero per singulos locos demonstrabo“, quomodo praestiterit vir doctissimus, iam infra videbimus (cf. p. 49). Ego vero mendis hunc codicem inquinatum fuisse haud negem, lectiones autem, quae coniecturarum speciem praebeant, non inveni, nisi forte unam, de qua vide p. 15.

Quibus absolutis iam ad ipsam rem accedere mihi liceat.

De spectaculis.

Exstat in A B C.

c. 2, p. 2, v. 11: *Iam vero nemo est, qui non hoc quoque praetendat: omnia a deo instituta et homini attributa, sicut praedicamus, et utique bona, ut omnia boni auctoris; inter haec deputari universa ista, ex quibus spectacula instruuntur, equum verbi gratia et leonem et vires corporis et vocis suavitates; igitur neque alienum videri posse neque inimicum deo, quod de conditione constet ipsius, neque cultoribus dei deputandum, quod ei non sit inimicum, quia nec alienum.*

Sic editores Leopoldum secuti. Quae autem in codd. leguntur, haec sunt: *cul*..... *deputandum* A, *cultoribus dei putandum* B, *cultoribus dei vitandum* C. Sententiae autem id plane satisfacere, quod C praebet, in aperto est. Unde exorso scribendum esse mihi videtur: *cultoribus dei ⟨de⟩vitandum;* ex quo iam apparet, corruptelae quomodo ortae sint. { cul

De⟨s⟩putandum auctorem scripsisse egregie suspicatur Stowass.; tum in archetypo interpretamentum superscriptum fuisse hac fere forma: *vitandum* / *desputandum*; denique A B Tert. verba mendo levissimo depravata servasse, C. autem interpretamentum recepisse. Cf. De idol. c. 11, p. 42 u. 22: *Quo ore Christianus — aras despuet —?*

p. 3, v. 4 sqq.: — *Necesse est ignorent, qualiter administrari aut iubeat aut prohibeat quae instituit* (deus scil.), *simul quae*

vis sit aemula ex adverso adulterandis usibus divinae conditionis, quia neque voluntatem neque adversarium noveris eius quem minus noveris. Non ergo hoc solum respiciendum est a quo [*a* add. Ursinus] *omnia sint instituta, sed a quo conversa. Ita enim apparebit, cui usui* [ita Hart., Patr. Stud. I, p. 9, *cuiusvis* A, *cuius vi sint* B, *cui usui sint* Rigaltius, Reiff.] *instituta, si appareat, cui non.*

Ac primo quidem obtutu nihil mutandum videatur nisi forte supplendum: *sed⟨et⟩ a quo conversa* propter illud antecedens *non — hoc solum respiciendum —, a quo instituta sint.* Sed et quae ita legerentur, omnino non quadrarent ad sequentia: *ita enim apparebit, cui usui instituta, si appareat, cui non.* Haudquaquam enim apparet, cui usui quid non sit institutum, si respiciatur, a quo conversum fuerit. Apparet autem si respicias quo, id est in quem usum conversum fuerit (a daemonibus scil.). Cum vero res ita sese habeat, maximi momenti videtur esse, quod prius illud *a* non in libris traditum, sed ab Ursino additum sit. Verum enim invenies, si in priore sententiae parte codicum lectiones serves, in altera autem ex *a* restituas illud *et,* quod desiderari supra ostendimus; si enim & in archetypo fuit, facillime in ⁊ corrumpi potuit. Scripsit igitur, ni fallor, Tertullianus: *non ergo hoc solum respiciendum est, quo omnia sint instituta, sed et quo conversa.*

v. 20: *Ipse homo, omnium flagitiorum actor* [*actor* C; *auctor* A B] —.

Non mihi persuasit Hartelius (Patr. Stud. I, p. 9) respuendum esse quod C praebet. Parum enim veri simile est *actor,* vocem satis raram, ex *auctor,* sane usitatissima, corruptam esse. Accedit codicis auctoritas, de qua infra plurima afferam. Itaque Hartelio adsentiri non possum dicenti: Die urkundliche Gewähr ist so gut wie keine.

Cf. Auson. Epigram. 24 Peiper: *lapis — Actorisque sui frontem oculosque petit. Actoris* Harleianus; *Auctoris* reliqui (Stowass.).

c. 5, p. 7, v. 7: *Libero enim a rusticis primo fiebant* (Liberalia scil.) *ob beneficium quod ei adscribunt demonstrati gratia vini* [sic Reiff. Rigaltii coniectura recepta; *demonstrata gratia vini* A; *pro demonstrata gratia vini* B].

Scribendum erit: *ob beneficium quod ei adscribunt, demonstratam gratiam vini.* Corruptelae quomodo ortae sint, in propatulo est.

c. 7, p. 9, v. 6. Agitur de pompis, quas, sive maiores sint sive minores, deum offendere contendit Tert.: *viderit ambitio sive frugalitas eius sit deum offendit qualiscumque pompa circi.* Ita A. Oehl. scripsit: *viderit — frugalitas eius, si deum offendit* —; E. Klussmannus: *viderit — frugalitas eius; scilicet deum offendit* —; Reiff.: *viderit — frugalitas eius ** sit. Deum offendit* —; van der Vliet (pag. 101): *viderit — frugalitas eius ⟨quanta⟩ sit* [vel: *⟨qualis⟩ sit*]. Denique Hartelius (I, pag. 15): *viderit — frugalitas, cuius sit: deum offendit.*

Fortasse scribendum erit: *viderit ambitio sive frugalitas eius* (scil. pompae): *⟨dum⟩ sit, deum offendit qualiscumque pompa circi. Dum* enim facillime ante *sit deum* intercidere potuit.

c. 8, p. 10, v. 7—23: *De locis quidem locus est retractandi ad praeveniendam quorundam interrogationem. Quid enim, inquis, si alio in tempore circum adiero, periclitabor de inquinamento? Nulla est praescriptio de locis. Nam non sola ista conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinae adire servus dei potest urguente causa simplici dumtaxat, quae non pertineat ad proprium eius loci negotium vel officium. Ceterum et plateae et forum et balneae et stabula et ipsae domus nostrae sine idolis omnino non sunt: totum saeculum*

satanas et angeli eius repleverunt. Non tamen quod in saeculo sumus, a deo excidimus, sed si quid de saeculi criminibus attigerimus. Proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator vel adorator intravero, a deo excidam, quemadmodum circum vel theatrum spectator. Loca nos non contaminant per se, sed quae in locis fiunt, a quibus et ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur.

Ad quem locum Kroymannus (p. 20) haec adnotat: „redarguere vult hoc loco Tert. adversarium existimantem licere christiano ut templa idolorum ita et circum et theatrum adire, dummodo ne adoratum vel spectatum. Pertinent adversarii verba a l. 8 *(quid enim, inquis —)* usque ad l. 20 *(— vel theatrum spectator)*, quod propterea premo, quia a l. 10 *(nulla est praescriptio —)* obiter intuenti auctor ipse loqui videtur. Omnia quae protulit adversarius, his refellit Tertullianus: *Loca nos non contaminant per se, sed quae in locis fiunt, a quibus et ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur.* — Offendo in verbis *a quibus et ipsa loca contaminari altercati sumus.* Nusquam enim de hac re cum adversario altercatus est auctor. Ceterum quomodo a verbo altercandi potest pendere acc. c. inf.? Sententiam hiulcam sic in integrum restituisse mihi videor: *Loca nos non contaminant per se, sed quia in locis fiunt, a quibus et ipsa loca ⟨scimus⟩ contaminari, altercati sumus: de contaminatis contaminamur.* Altercati sumus idem est quod: altercatio nostra absoluta, finita est.“

Ad quae primum adnotem ipsi Kroymanno non ante, sed post *contaminare* collocandum fuisse illud *scimus*, quippe cum ita tantum fieri potuisset, ut in *sumus* dittographia corruptum alicui librario esse videretur. Atqui ego omnino nihili esse, quae hic profert vir doctissimus, persuasum habeo.

Et primum quidem, ad grammaticen quod attinet, sane

paullo durior est acc. c. inf. a verbo altercandi pendens. Ferri tamen potest, opinor. Nam altercari hic loci nihil fere est nisi quod alibi contendere, a quo semper, vel disputare, a quo interrogativa saltem sententia interdum pendet (cf. locum in lexicis citatum: Cic. or. 101). Ceterum ne quid mutes apud Tertullianum, nisi plane a latinitate abhorreat, plurima exempla satis monent.

Sed iam ad rem properamus. Nusquam, ait Kroymannus, cum adversario altercatus est de locorum contaminatione. Audio; cum adversario enim Kroymanniano omnino altercatus non est. Disputavit autem cum suo ipsius adversario, cum quo per totum librum certat, christiano scilicet, qui spectacula licita esse contendit. Disputavit autem de ea re tota priore ipsius cap. parte. Vide p. 9, v. 18 sqq.: *Quot igitur in habitu loci illius idololatrias recognoscis?* (Tu, i. e. adversarius, cum quo altercatur.) — *Ova honori castorum adscribunt* —. *Delphines Neptuno vomunt.* — *Ante eas tres arae trinis deis parent.* — *Consus, ut diximus, apud metas sub terra delitescit.* — *Animadverte, Christiane, quot nomina immunda possederint circum,* hoc est: quam contaminatus sit de eis. Mutatione ergo opus non est.

Neque vero omnino argumenta illa a v. 10 usque ad v. 20 enumerata adversario cuiquam tribuenda sunt. Primum enim, et si adversarii essent, a Tertulliano nullo modo refellerentur. Nam re vera forum et balneae sine idolis non sunt; quae tamen christianis adire licet: si igitur, ex sententia Tert., loca ab eis, quae in ipsis fiunt, in perpetuum contaminarentur, ideoque templa circos theatra vel extra tempus sacrificii ludi rerum scaenicarum adire non liceret, idem observandum esset in foro, in balneis, in ipsis domibus adeundis: id quod certissime Tert., sicut dicere non potest, non dicit. Itaque sententia adversarii haudquaquam refelleretur.

Sed et ideo sententiam illam non refellit Tert., quia ipsius est. Nam idem fere, quod hic ex opinione Kroymanni adversarius, ipse dicit in libro de idololatria (p. 49, v. 28 — p. 50, v. 9; cf. et p. 46, v. 10 sqq.), ubi ea quaestio tractatur, an liceat christiano privatis sacrificiis interesse: quos locos, ut facilius comparari possint, iuxta positos subiunxi.

de spect. p. 10, v. 10 sqq.

Nam non sola ista conciliabula spectaculorum,

(1) *sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinae servus dei adire potest,*

(2) *urguente causa simplici dumtaxat,*

(3) *quae non pertineat ad proprium eius loci negotium vel officium.*

(4) — *totum saeculum satanas et angeli eius repleverunt.*

(5) *Non tamen quod in saeculo sumus a deo excidimus, sed si quid de saeculi criminibus attigerimus.*

(6) *Proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator vel adorator intravero, a deo excidam, quemadmodum circum vel theatrum spectator.*

de idol. p. 49, v. 28 sqq.

Sim vocatus (= invitatus) *nec adsacrificii sit titulus officii* —. *Utinam quidem nec videre possimus quae facere nobis nefas est.*

(4) *Sed quoniam ita malus circumdedit saeculum idololatria,*

(1) *licebit adesse in quibusdam, quae nos homini, non idolo officiosos habent. Plane ad sacerdotium et sacrificium vocatus non ibo*

(3) *(proprium enim idoli officium est)* —.

(6) *Si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps idololatriae;*

(2) *sive alia causa coniungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii.*

(5) p. 46, v. 10: *sed etsi non prohibet nos conversari cum idololatris — dicens: ceterum de mundo exiretis — non et compeccare possimus.*

Iam satis probasse mihi videor argumenta illa distinctionesque non adversarii cuiusdam, sed ipsius scriptoris esse. Itaque extremi enuntiati sententia non, ut Kroym. vult, haec est: loca, ab idololatria semel contaminata, in omne aevum semper nos contaminant; sed haec: tunc nos contaminant, dum idololatria in ipsis fit. Quod denique certissime probatur altero eiusdem libri loco. Capite enim 15, p. 16 sqq. legimus (secundum editionem Reiff., cf. infra p. 16): *Ceterum rettulimus supra de locorum condicione, quod non per semetipsa nos inquinent, sed per ea, quae illic geruntur, per quae, simul inquinamentum combiberunt, tunc etiam in alteros respuunt.* — Recte igitur Tert. sententiam a me explicatam arbitror, et iam „altercatio nostra absoluta, finita est".

c. 11, p. 13, v. 23: *Inde et ipsi sacri vel funebres instituti* (agones scil.) *aut deis nationum aut mortuis fiunt. Perinde tituli: Olympia Iovi, quae sunt Romae Capitolina, ita Herculi Nemea, Neptuno Isthmia, ceteri mortuorum varii agones [mortuorum varii* Bmg C; *mortuarii varii* B; *mortuarii* A*].*

Descripsi hunc locum, non tam ut auctoris verba restituam, quam ut librorum lectiones alias cum aliis conferam, quod ad illorum propinquitates cognoscendas haud parvi momenti esse mihi videtur. Et primum omnium explicandum erit, unde traxerit Gangneius lectiones illas duas, cum codex eius non nisi unam praebere potuerit, alteram vero ex A non fluxisse in propatulo sit. Quam rem duplici ratione explicari posse opinor. Aut enim quod in margine adscripsit Gangn. *mortuorum varii* in codice suo invenit, unde cum Ag. lectione *mortuarii* contaminando suum illud effecerit *mortuarii varii;* aut *mortuarii varii* iam liber eius praebebat, *mortuorum varii* autem nihil est nisi ipsius coniectura.

Et plane, nisi Clem. quoque libri lectio tradita nobis esset, secundam explicationem probaremus, Hartelium secuti, qui (I, p. 19) de hac re sic iudicat: „Wenn irgendwo, so liegt es hier klar vor, dass diese Lesart des Ag. (mortuarii) aus Unverstand entstellt wurde —. Weil die singuläre Bildung: mortuarius Befremden erregte, verwässerte man sie lieber durch den Zusatz: varii (cui argumento adstipulari nequeo; nam si quis *mortuarii* quid sit nesciat, plane *mortuarii varii* nihilo magis intelleget). Denn ihre Verschiedenheit zu betonen war hier keine Veranlassung. Wer diese wuchernden Bildungen auf —arius überschaut, wie sie Rönsch, It. u. Vulg. S. 131 ff. zu Hauf gebracht, wird ein mortuarius, dessen Existenz zudem die romanischen Sprachen verbürgen, für Tert. nicht missen wollen."

Verum accedit, ut diximus, quod C quoque praebet *mortuorum varii*. Id autem plane parum verisimile est, quod haud scio an aliquis opinetur, et Gangn. et libri Clem. librarium eadem coniectura usos *mortuorum varii* pro *mortuarii varii* suspicatos esse. Et quoniam C ex ipso archetypo defluxisse et supra iam diximus et infra fusius demonstrabimus, duo restant modi, quibus miram hanc rem explicare aliquis possit. Aut enim suspicetur necesse est Gangn. hoc loco etiam tertio quodam codice, et eiusdem quidem stirpis, cuius C est, usum esse, ex quo illud *mortuorum varii* enotaverit; aut concedat hanc lectionem archetypum quoque praebuisse. Quo concesso hanc explicationem res admittant. Fuit in archetypo *mortuorum varii*, quod et C et Gangn. codex servarunt. Librarii autem, qui Ag. exaravit, oculus consueto more aberravit a priore *u* ad alterum; itaque effecta est lectio *mortuarii*, quam Gangn. cum *mortuorum varii* contaminavit, qui in ipsa editione reposuit *mortuarii varii*, in margine autem codicis sui lectionem enotavit.

c. 12, p. 14, v. 21: Loquitur auctor de origine spectaculorum, quae proprie dicuntur: pugnis scilicet hominum bestiarumque. Quas ortas esse vult Tert. ex eis, in quibus homines solis hominibus oppositi erant. *Sed paulatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam et crudelitatem, quia feriarum* [ita Reiff. coniectura Max. Klussmanni recepta; *ferarum* A B; *ferrum* C] *voluptati satis non fiebat [faciebat* C], *nisi et feris humana corpora dissiparentur.*

Plane indignam puto Klussmanni coniecturam, quae inter Tert. verba recipiatur. Lusum enim verborum eumque pessimae notae tribuit Tertulliano. Nec mihi persuasit van der Vliet (p. 10), qui pari modo hic atque alibi Tert. paronomasiae indulsisse contendit. Inter ferias enim et feras nulla prorsus similitudinis ratio intercedit nisi merus sonus. Multo igitur libentius retineam quae tradita sunt: *ferarum;* plane enim ferae illi homines dici possunt propter nimiam crudelitatem. — At ea quoque quae C praebet interpretationem aliquam admittunt: ethnicos eo crudelitatis provectos esse, ut, haud contenti hominibus ferro laniatis, etiam feris eos dissipari voluerint. — Quaerendum igitur erit, utra lectio facilius ex altera oriri potuerit. Et equidem putem viros doctos mihi adsensuros esse quae A et B tradunt praeferenti. Perdifficile enim duo haec verba simul corrumpi potuerunt: *ferrum* in *ferarum,* et: *faciebat* in *fiebat.* Coniectura autem peccare minime Agobardini est. Contra facillime *ferrum* corrumpi potuit ex *ferarum;* quo facto librarius quidam turbatam structuram restituere sibi visus *faciebat* pro *fiebat* reposuit. — Hanc igitur unicam illam corruptelam esse arbitror, quam libri Clem. coniecturae debemus; cf. supra p. 6.

c. 15, p. 16, v. 16 sqq.: In libris quae traduntur haec sunt: *Ceterum rettulimus supra de locorum condicione, quod non*

per semetipsa nos inquinent, sed per ea quae illic geruntur, per quae simul inquinamentum combiberunt, tunc et tantum alter ore spuunt A; *per quae simul inquinamentum combiberint, tunc et in alteros respuunt* B.

Quae B praebet nihil esse nisi Agobardini lectionem Gangnei mutationibus omissionibus additionibus depravatam satis liquet. Nam plane illud *tantum* nemo librarii ingenio adscribet; neque vero dici possunt *alteri* homines, cum antea de locis tantum sermo fuerit. Exordiendum igitur est ab A. Et primum quidem illud *tantum* omnes hucusque viri docti mutaverunt: *iterum* scripsit E. Klussmannus, *et totum* Hartelius, *etiam* Reifferscheid. *Tantum* autem mihi quidem cum praecedenti *tunc* optime convenire videtur. *Tunc* autem respondet praecedenti illi *simul,* quam ob rem et *quantum* aliquod, quod voci *tantum* respondeat, in prioribus latere suspiceris. Sed quamquam *et quantum,* quod exspectemus, ibi non invenimus, legimus tamen *inquinamentum,* quod, praesertim si ĪQVĪAM̃TV̄ in codice fuit, satis facile ex &QVANTV̄ nasci potuit, quoniam paullo ante librarius legerat *inquinent.* — Tum quod de combibendo et respuendo hic agitur, suadet, ut Agobardini *ore* servemus. Itaque haec Tertullianum scripsisse suspicor: — *quod non per semetipsa nos inquinent* (loca scil.), *sed per ea quae illic geruntur, [per] quae, simul et quantum combiberunt, tunc et tantum alter⟨no⟩ ore ⟨re⟩spuunt.* Alterno ore, h. e. eodem ore, quippe quod nunc combibat (scil. quae geruntur), nunc, quae combiberit, iam respuat: id quod forte ludimagistri dicerent: mit abwechselnder Mundthätigkeit. Illud autem *per,* quod uncinis seclusi, iteratum esse videtur ex praecedentibus: *per ea quae.* De similibus iterationibus in pp. 231 et 232 vide infra p. 48.

— *per quae simul inquinamentum ⟨et quantum⟩ combiberunt, tunc et tantum ultro respuunt* mavult Stowass.

p. 17, v. 6, sqq.: Haec leguntur in editione Reiff., qui B hoc loco secutus est: *Nam et si qui modeste et probe spectaculis fruitur pro dignitatis vel aetatis vel etiam naturae suae condicione, non tamen immobilis animi est et sine tacita spiritus passione.* At haec omnia Gangnei coniecturae sunt codicisque eius corruptelae. A enim haec praebet: *Nam et si quo modo honeste probes spectaculis fruï, pro dignitatis ⟨vel aetatis⟩ vel etiam naturae suae condicione, non tam enĩ mobili animi et sine tacita spiritus passione.*

Quae, per sese considerata, suaderent, ut emendaremus: *Nam et si quo modo honeste ⟨te⟩ probes spectaculis frui pro — naturae tuae condicione, non tamen immobili animo* (scil. te frui probes) *et sine tacita spiritus passione.* Et postrema quidem iam Hartelius restituit, qui tamen in prioribus Gangnei lectione servata ad *non tamen immobili animo* mente suppleri vult *fruitur* (I, p. 23—24). Fugisse autem videtur virum doctissimum coniecturam suam *(animo* pro *animi)* iam in C extare, ut qui praebeat: *non tamen immobili animo est sine* —. At quoniam videmus et hic C contra A facientem verum servasse, illud quoque *est,* quod praebet, pluris aestimandum erit. *Est* autem apud Tert. interdum idem significare quod *potest* vel *fieri potest ut* egregie demonstravit Hart. (I, p. 51). Ubi inter alia exempla ipse Hart. — casu sane memorabili — locum adfert ex libro de corona (Oehl. I, p. 439), quo legitur: *floribus frui est.* — Itaque loco nostro sic scribas velim: *Nam et si quo modo honeste ⟨te⟩ probes spectaculis frui pro dignitatis vel aetatis vel etiam naturae tuae condicione, non tamen immobili animo* (scil. frui) *est et sine tacita spiritus passione.*

c. 18. p. 19, v. 26: *Quodsi et stadium contendas in scripturis non nominari* [*non nominari* (*non* erasum) A; *nominari* editores omnes], *sane obtinebis.*

Omnimodo servandum puto *non nominari*, quod iam in legendo conieceram, antequam notam inspexi. Nam haec legimus in c. 3, p. 4, v. 19—23: *Quorundam enim fides aut simplicior aut scrupulosior ad hanc abdicationem spectaculorum de scripturis auctoritatem exposcit et se in incertum constituit, quod non significanter neque nominatim denuntietur servis dei abstinentia eiusmodi.* Tum autem in c. 14, p. 16, v. 6 sqq.: — *abdicationem spectaculorum, alia iam ratione tractemus ex abundanti propter eos maxime qui sibi blandiuntur quod non nominatim abstinentia ista praescripta sit. Quasi parum etiam de spectaculis pronuntietur, cum concupiscentiae saeculi damnantur.* Concedit ergo, opinor, auctor spectacula verbis expressis in scripturis damnata non esse. Item c. 16, p. 17, v. 21: *Cum ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam a circo, ubi proprie furor praesidet.* Item c. 17, p. 18, v. 19: *Similiter impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur.* — Qui locus vel pluris faciendus est quam reliqui. Qui enim nostro loco *nominari* scribunt, ita eum intellegere debent, ut adversarii ideo stadium fidelibus permissum esse contendant, quod omnino in scripturis nominetur: scil. 1. Cor. 9, 24, ubi legitur: *οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες πάντες μὲν τρέχουσι, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον; οὕτως τρέχετε ἵνα καταλάβητε.* Verum theatrum quoque in eadem apostoli epistola nominatur 4, 9: — *ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις.* Quem locum ipse vertit Tert. de pudic. c. 14, p. 247, v. 9: *spectaculum facti sumus huic mundo.* Huius autem rei ne adversarii quidem mentionem faciunt. Itaque apparet de eiusmodi nominationibus, quae non nisi figurae gratia occurrant, hic loci non agi, sed de damnationibus tantum, quae nominatim fiant. Et id praecipue premendum est Tertullianum dissertatione de theatro absoluta sic pergere: *Quod si et stadium*

contendas —; quae res satis docet stadii causam ex sententia auctoris eandem esse atque theatri.

Sed et quae iusequuntur conferenda sunt: si enim ex illa stadii nominatione argumentarentur adversarii, plane quoquo modo responderet eis Tert., neque vero sic pergeret: *Sed quae in stadio geruntur, indigna conspectu tuo non negabis.* Item et in c. 19 ait (p. 20, v. 11 sqq.): *Exspectabimus nunc et amphitheatri repudium de scripturis?* [ita recte Kroym., pag. 23]. *Si saevitiam, si impietatem, si feritatem permissam nobis contendere possumus, eamus in amphitheatrum.* Nec non in c. 20 (p. 21, v. 4 sqq.): *Quam vana igitur, immo desperata argumentatio eorum, qui sine dubio tergiversatione amittendae voluptatis optendunt nullam eius abstinentiae mentionem specialiter vel localiter in scripturis determinari, quae directo prohibeat eiusmodi conventibus inseri servum dei.* Quo loco iam videmus non de spectaculi, sed de abstinentiae nominatione loqui Tertullianum.

Postremo similes quoque loci conferendi sunt libri de corona: c. 2, p. 420 (Oehl. I): *Et facile est statim exigere, ubi scriptum sit, ne coronemur? At enim scriptum est, ut coronemur?* et ibid. c. 4, p. 424: *Harum et aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam leges. Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.*

c. 21, p. 21, v. 27: — *nusquam et nunquam excusatur quod deus damnat, nusquam et nunquam licet quod semper et ubique non licet. Haec est veritatis integritas et, quae ei debetur, disciplinae plenitudo et aequalitas timoris et fides obsequii, non immutare sententiam nec variare iudicium. Non potest aliud esse, quod vere quidem est bonum seu malum.*

Omnia autem penes veritatem dei fixa sunt [sic A B, editores omnes; *penes vos veritate defixa sunt* C]. *Ethnici,*

quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis deus, malum et bonum pro arbitrio et libidine interpretantur.

Primo quidem obtutu sana esse videtur Agobardini lectio. At mira quadam, opinor, ratione sibi opponuntur verba *penes veritatem* et *penes ethnicos.* Quod enim probare vult auctor hoc est: certam boni et mali scientiam, ideoque et veritatem non penes ethnicos, sed penes Christianos esse: haudquaquam autem: veritatem penes veritatem esse, quod nihil esset. Hanc autem, quam desideres, sententiam nulla fere mutatione ex C restituere possis, si scripseris: *Omnia autem penes nos veritate dei defixa sunt; ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis deus, malum et bonum pro arbitrio et libidine interpretantur.*

Iamque apparet, menda quomodo orta sint: in A enim *nos* post *penes* intercidit; tum librarius, quid a *penes* pendeat nesciens *veritatem* reposuit pro *veritate;* in C autem levissima corruptela *vos* pro *nos* scriptum est. Quae iam certissimo argumento docent et A et C ex ipso archetypo defluxisse. Propterea id quoque licet: libri Clem. et Agobardini lectiones contaminare. — Ad *veritate defixus* cf. adv. Marc. IV, c. 6: *praescriptio, qua defigimus* — (Oehl. II, p. 168).

De idololatria liber.

Exstat in A B.

c. 1, p. 30, v. 5: *Nam etsi suam speciem tenet unumquodque delictum, etsi suo quoque* [ita A B; *quodque* Iunius, Reiff.] *nomine iudicio destinatur, in idololatriae tamen crimine expungitur.*

Quae iniuria puto mutasse viros doctos; *quoque* enim hoc loco idem est quod *etiam.*

c. 5, p. 35, v. 1: *Pateat igitur ecclesia omnibus, qui manibus et suo opere tolerantur.*

Ita A B. Nescio, cur Reiff. *tolerant* pro *tolerantur* reposuerit, cum *tolerare* pro ernähren, Unterhalt verschaffen, usurpari satis constet.

c. 9, p. 38, v. 16 contendit Tert. artem astrologorum Christianis minime convenire. Tum obicit adversarius: *Sed magi [et astrologi] ab oriente venerunt. Scimus magiae et astrologiae inter se societatem. Primi igitur stellarum interpretes natum Christum annuntiaverunt, primi muneraverunt. Hoc nomine Christum, opinor, sibi obligaverunt. Quid tum? ideo nunc et mathematicis patrocinabitur illorum magorum religio? De Christo scilicet est mathesis hodie, stellas Christi, non Saturni et Martis et cuiusque ex eodem ordine mortuorum observat et praedicat.*

Verba *et astrologi* uncinis seclusit Reiff., qui, ut mihi quidem videtur, omnia illa: *sed magi* —. *Scimus magiae* — *societatem. Primi* — *muneraverunt* adversario tribuit. Opinatur enim syllogisticum esse argumentum hoc: Magi ex oriente

venerunt. Scimus magiae et astrologiae societatem. Ergo: stellarum interpretes primi Christum annuntiaverunt. Nam aliam causam nescio, cur verba *et astrologi* secluserit. Sed aperte falsum hoc est! Factis enim in libris sacris relatis repugnat syllogismus ille. Nam non ideo, quia magi, et stellarum interpretes; sed revera ut stellarum interpretes ex oriente in Iudaeam venerunt: scilicet quia stellam secuti (Ev. Matth. 2. 2, 9—10). Scribendum ergo puto: *Sed magi ut astrologi ex oriente venerunt.* Magi, enim, ab oriente venientes, iam ab omnibus intelleguntur qui sint: iidem scilicet, quos hodie quoque appellare solemus: die Weisen aus dem Morgenland. Cf. de carn. Christ. c. 2 (Oehl. II, p. 427. 9): — *et magi ne fatigentur de longinquo.*

Verba autem *Scimus* — *societatem* quasi per parenthesin posita sunt. *Primi igitur stellarum interpretes* — referenda sunt ad *ut astrologi.* Sententia enim adversarii haec est: magi illi ut astrologi in Iudaeam venerunt (et utique convenit magis astrologia). Astrologi igitur primi Christum annuntiaverunt. Contra εἰρωνικῶς Tert.: *hoc nomine* (scil. ut stellarum interpretes), *opinor, Christum sibi obligaverunt.*

c. 18, p. 51, v. 26: *Sic penes nos quoque fideli* [ita A; *fideles* B, editores omnes praeter Rigaltium], *si necesse fuerit, poterit et puerilis* [ita A; *pueris* B, edd. praet. Rigalt.] *praetexta concedi et puerilis* [ita A B; *puellis* Gelenius, Reiff.] *stola.*

Non mihi placent Gangn. atque ceterorum coniecturae; praecipue cum ipse Gangn. vestigium alterius lectionis servaverit, quae sane nec stilo emendatiori nec sententiae repugnet. Dicit enim auctor *puerilis praetexta* et *puerilis stola*, ut distinguantur a praetexta magistratuum et a stola sacerdotum, quas plane *fideli* nullo modo concedit.

Ad nationes libri duo.

Exstat in A.

I, c. 4, p. 63, v. 12: *Sed dicitis sectam nomine puniri sui auctoris. Primo quidem sectam de auctoris appellatione notari [notari* Rigalt., Reiff.; *mutari* A; *nominari* Caspar Barthius; *mutuari* Max. Klussmannus (Reiff. p. XIII)] *utique probum usitatumque ius est.*

Digna erat Klussmanni coniectura, quae inter verba reciperetur. Firmari enim potest altero eorundum librorum loco allato, II, c. 4, p. 100, v. 11: — *palam est ut vocabulum istud sit aliunde desumptum propriumque, quia a se nativum, divinitatis inventum. Itaque semota interpretationis eius astutia veri similius est non a cursu et motu ϑεοὺς dictos, sed de appellatione veri dei mutuatum —:* scilicet *vocabulum,* quae vox occurrerat in sententia priore. Sic et hic *nomen* mente supplendum erit.

Sectam de auctoris ⟨*nomine*⟩ *appellatione*⟨*m*⟩ *mutuari* Stowass.

c. 5, p. 65, v. 19: *Necesse est in corpore, et quantum velis integro aut puro, uti naevus aliqui effruticet aut verrucula exsurgat aut lentigo sordescat. — Modica macula in fronte, in parte quadam exemplari visa,* ***a quo*** *universitas munda est.*

Scribendum erit: ***a qua;*** referenda enim sunt haec verba ad *modica macula; exemplari* autem ad *parte.* Universitas

enim a nullo exemplario munda esse potest, quippe quod ipsius particula sit.

c. 12, p. 81, v. 23: *Sed et qui nos crucis antistites affirmat, consacerdos erit noster. Crucis qualitas signum est de ligno: etiam de materia* [ita A; *et eandem materiam* Reiff.] *colitis penes vos cum effigie. Quanquam sicut vestrum humana figura est, ita et nostrum sua propria.*

Reiff. lectio minus placet; non enim id solum contendere vult Tert., ethnicos quoque lignum colere, sed etiam *signum de ligno* eos adorare. Illud quidem dicit in apolog. gemino loco (Oehl. I, p. 177): *cum lignum aliquod propitiatur, viderit habitus; cum materiae qualitas eadem sit, viderit forma* —: et ob eam rem Hart. (II, p. 58) probat Reiff. coniecturam. Verum hoc loco verbis expressis crucem definit ut *signum de ligno*; itaque parum esset, si lignum quoque adorarent ethnici: signum ligneum colant necesse est. — Accedit grammaticum quoque argumentum. In sequenti enim enuntiato nescio, quomodo explicare velit Reiff. illud *vestrum* et *nostrum*? Nam ad *materiam* vel *effigiem* referri non possunt: referenda ergo sunt ad *signum* scribendumque: *crucis qualitas: signum est de ligno*; ⟨*signum*⟩ *etiam de* ⟨*eadem*⟩ *materia colitis penes vos, cum effigiem*. — Nemo enim dubitabit, quin facillime *signum* post *ligno* et *eadem* post *etiamde* (h. e. *eadẽ* post *iãde*) intercidere potuerint. De breviloquentia autem illa: *cum effigiem* (scil. colitis), satis iam constat. Alioquin haec lectio cum rationi tum contextui optime convenit: rationi, quoniam et revera effigies signum appellatur, itaque qui effigiem colit ligneam et *signum de ligno* colere merito dici potest; contextui autem, quia dissertatione fusiore pergit Tert. id demonstrare, idolis revera, ratione originis, crucem ligneam subiacere.

c. 16, p. 86, v. 21: *Sed et Macedones —, cum primum scaenam eorum Oedipus intravit, trucidatus oculos, risu ac derisu exceperunt. Tragoedus —: numquid, ait, domini, displicui vobis? Responderunt Macedones: immo, tu quidem pulchre, at* [*at* Oehl.; *aut* A] *scriptor vanissimus, si finxit, aut Oedipus dementissimus, si ita fecit.*

Scribendum erit: ⟨*at*⟩ *aut scriptor vanissimus, si finxit, aut Oedipus dementissimus, si ita fecit.*

II, c. 1, p. 93, v. 21: *Denique si tantam perversitatem una praescriptione discuti liceret, in expedito ..... untiatio.*

Suppleverat Gothofredus: *in expedito esset nuntiatio,* quam lectionem omnes post illum editores receperunt. Neque vero, ut puto, recte. Vox enim *nuntiatio,* ut ex Oehl. indice apparet, alias non occurrere videtur in scriptis Tert., nisi sensu proprio; cf. Oehl. II, p. 439. 25. Scribas igitur velim: *in expedito iam renuntiatio.* De cuius vocis significatione si dubites, eadem atque hic sententia ea usum esse Tert. videbis, cum c. 4 (p. 101, v. 3) inspexeris.

c. 3, p. 98, v. 19: *Cum stoici negent quicquam deo nasci.* — Corrigas quaeso: ⟨*de*⟩ *deo nasci.*

c. 3, p. 99, v. 10: — *dicens eo animalia credita* (elementa scil.), *quia per semetipsa moverentur, nullo extrinsecus apparente motatore eorum ut initiatore* [ita A; *et initiatore* Goth.; *aut incitatore* Oehl., Reiff.].

Dubito an servandum sit *initiatore,* cum bis occurrat haec vox: adv. Marc. IV. 14 (Oehl. II, p. 188) et 22 (p. 215), ubi deus initiator veteris et novi testamenti appellatur.

v. 22: Disseritur de divinitate elementorum (h. e. siderum), quae ideo Varro deos dicat, quia animalia sint, et ideo ani-

malia, quia per semetipsa mobilia: *Sint ergo et animalia, quia mobilia per se, et iam mobilia per se, quia non per alium, tamen.... [illa* Goth.; *ut ea* Oehl., Reiff.; *ut eo* Kroym., p. 48] *non statim dei, quia animalia, ita nec ideo, quia per se mobilia: aut quid vetat universa animalia, ut mobilia per se, deos haberi?*

Scripsit, ni fallor, Tert.: *tamen aut eo non statim dei, quia animalia, ita nec ideo, quia per se mobilia; aut quid vetat universa animalia, ut mobilia per se, deos haberi?*

Pro *ita nec ideo* exspectes *itaque nec ideo.* At hic usus voculae *ita* Tertulliano sollemnis est. Nam scriptum legimus in c. 24 de anima (p. 337, v. 16): *Ceterum quae — nulli passioni subiacebit, ita nec oblivioni* —; item adv. Marc. I, 7 (Oehl. II, p. 54): *Nec tamen idcirco eis competat possessio summi magni, ita nec creatori.* Quibus locis immerito eam vocem mutabat Kroym. (pp. 109, 122). Item et sine negatione *ita* aliquando usurpatur, ut p. 268, v. 26: *Nondum enim caro a Christo manumissa, cui servabatur, impune contaminabatur: ita iam manumissa non habet veniam.* Et hunc locum mutandum censebat Kroym. (p. 93).

c. 4, p. 102, v. 7—11: *Merito ergo Milesius Thales, dum totum caelum examinat et ambulat oculis, in puteum cecidit turpiter, multum inrisus Aegyptio illi: in terra, inquit, nihil perspici ..... lum tibi speculandum existimas? Itaque casus eius per figuram philosophos notat, scilicet eos, qui stupidam exerceant curiositatem, in res naturae quam prius* (h. e. potius quam prius) *in artificem eius et praesidem, in vacuum ..... dum habituros.*

Quod ad priorem lacunam pertinet, Goth. supplevit: *perspiciebas, caelum,* quae verba omnes editores receperunt. At parum veri simile esse videtur sententias illas ἀσυνδέτως positas fuisse. Scribas ergo velim numero litterarum a Reiff. signato accuratissime observato: — *nihil perspicis, qui*

caelum tibi speculandum existimas? Cf. et Graecam eiusdem historiolae versionem ap. Diog. Laert. (I. 8. 34): *σὺ γὰρ, ὦ Θαλῆ, τὰ ἐν ποσὶν οὐ δυνάμενος ἰδεῖν τὰ ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ οἴει γνώσεσθαι;*

— *perspici⟨ens cae⟩lum* — *existimas.* Stowass.

Multo sane difficilius explenda est altera lacuna. Et Goth. quidem *n* adhuc legisse videtur in Ag. ante: — *dum.* Unde intellegitur, cur et ipse Goth. et Reiff. gerundium aliquod suppleverint: ille *currendum,* hic autem *laborandum,* quod probat Hart. his verbis (III, p. 46): „Die Stelle scheint mir durch Reifferscheids Ergänzung *laborandum* und die gegebene Interpunction richtig erledigt zu sein.“

Verum iam Oehlerus animadverterat habendi verbum cum gerundio coniunctum alibi apud Tert. non inveniri. Quod et Hart. concedit, cum ex Tacito et Frontino exempla affert. Oehl. igitur supplebat: *suum studium.* — Quae tamen propositiones aeque omnes displicent. Nam solus Goth. sententiam scriptoris perspexisse videtur; *currendum* autem, quod scripsit, nec lacunam explet nec quod ad dictionem pertinet comprobari potest. Oehleri autem et Reifferscheidii lectiones ne sententiae quidem satisfaciunt: quomodo enim casus ille Milesii *notare* possit *per figuram* philosophis in vacuum laborandum vel studendum fore? Si denique *in vacuum laborare* omnino aliquid significet!

Equidem scribendum censeam: *in vacuum et profundum abituros! Profundum* enim spatium immensum saepius significat, sicut adv. Marc. V. 34 not. h et 35 (Oehl. II, p. 252, v. 1). *Vacuum* igitur *et profundum* est *χάος,* in quod abire idem est quod nostrum: jeden Boden unter den Füssen verlieren. Cf. et p. 96, v. 2: *in incertum abiit.*

Quod vero ad lectionem *habituros* attinet pro *abituros,* cf. de idolol. c. 5 (p. 33, v. 28), ubi *hab* pro *ab* praebet

idem Ag., et ib. c. 13 (p. 44, v. 14), ubi *abitu* pro *habitu,* nec non de an. c. 34 (p. 358, v. 25), ubi *hactis* pro *actis* et scorp. c. 5 (p. 153, v. 20), ubi *hictum* pro *ictum* etc. — Nunc etiam *figuram* illam perspicere possumus, qua philosophi casum Tert. interpretatur; nam haec fere dicit: sicut Thales sidera observans in puteum (qui plane locus vacuus est ac profundus) incidit, ita et philosophi stupidam curiositatem exercentes in *vacuum et profundum* abibunt.

c. 6, p. 105, v. 18: Elementa deos dicitis. At elementa defectus capiunt ut sol, ut luna, ut sidera. Qui divinitati minime conveniunt: *fingite qualibet* [ita A recte; *quaslibet* Goth., Reiff.] *rationes caelestium casuum, non volet deus aut minor fieri aut esse desinere. Viderint igitur humanae doctrinae patrocinia, quae coniectandi artificio sapientiam mentiuntur [mentiuntur* Goth.; *men* .... A; ⟨*e*⟩*mendant* (εἰρωνικῶς scil. dictum) ego suspicor] *et veritatem. Nam alias natura sic est, ut qui melius dixerit, hic verius dixisse videatur, non qui verius, is melius.*

Sententiam ultimam vix me intellegere fateor. Nam plane natura non sic est, ut qui bene dixerit, is ideo et vere; neque ea potuit esse Tert. sententia. Immo contraria. Scripsit igitur, ni fallor: ***Num*** *alias natura sic est, ut, qui melius dixerit, hic verius dixisse videatur? Non, qui verius, is melius?* — Sententia enim haec: qui humanae doctrinae artificio utitur, is melius quidem dicet, neque vero ideo et verius.

c. 7, p. 107, v. 3: *Atquin horretis et aversamini vagos, exsules, ... s, debiles, sordide natos, inhoneste institutos.*

Mutilos supplevit Goth., *pauperes* Oehl., quem Reiff. secutus est. Qui tamen ipse lacunam V litterarum esse ad-

notat. Scribas ergo velim: *tenues,* vel *inopes,* vel potissimum *aegros.* — Cf. p. 119, v. 23.

p. 108, v. 3 sqq.: *Mentiuntur sane poetae, sed non ideo quod talia gesserint ..... homines quas defuerint nec quod divinas adscripserint foe ..... divinitatis.* Ita A.

Hunc locum sic supplebant et corrigebant viri docti: *Sed non ideo, quod talia digesserint de deis homines quam defuerint, nec quod divinas adscripserint foe ..... divinitatis* Goth.; *sed non ideo, quod talia gesserint vestri dei, homines quando fuerint, nec quod divinas adscripserint foeditates divinitatis* Oehl.; *sed non ideo, quod talia digesserint de deis homines quando fuerint, nec quod divinas adscripserint foeditates divinitati* Reiff.; *sed non ideo quod talia digesserint, ut quibus homines quasi dei fuerint, nec quod indignas adscripserint foeditates divinitatis* Hart.

Sic interpretatur lectionem suam Hart. (III, p. 52): „Tertullians Gedanke ist, dass die Dichter von absichtlicher Täuschung freizusprechen sind, weil jene, von denen sie erzählen, in ihren Augen gar keine Götter waren, und sie folglich nicht der Gottheit Unwürdiges erdichteten.“

Verum Tert. dixisse Homero Hesiodo ceteris poetis Iovem Saturnum ceteros deos non tam deos quam homines fuisse viro doctissimo vix quisquam crediderit. Praeterea, si haec ita se haberent, haud quisquam intellegeret, quomodo dicere posset auctor: *mentiuntur sane poetae,* si, ex ipsius sententia, de hominibus vere maleficis maleficia revera commissa referrent.

Itaque virorum doctorum correctionibus usus sic Tertulliano sua reddenda arbitror: *Mentiuntur sane poetae, sed non ideo, quod ⟨non⟩ talia gesserint isti dei, homines quando fuerint, sed quod indignas adscripserint foeditates divinitati.* — Ut illud quoque Epicuri dictum conferam (ap. Diog. Laert. X,

p. 123): *ἀσεβὴς δ᾽ οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ᾽ ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας θεοῖς προσάπτων,* recte monuit pater Theodorus Gomperz.

c. 12, p. 116, v. 7: *Et quonam usque deos edam, quia disserendum quales deos receperitis? Quantum vobis erubescendum?*

Plane scribendum est: — *quia disserendum, quales deos receperitis, ⟨non⟩ quantum vobis erubescendum.*

c. 12, p. 120, v. 10: — *nec praetermittam potiora testimonia divinarum litterarum, quibus fides pro antiquitate superiore debetur.* Ita A.

Dubito, num recte *superior* pro *superiore* reposuerit Goth., cuius coniecturam editores receperunt. Nam auctoritatem scripturarum earum antiquitate demonstrare, argumentum est omnibus fere Apologetis, quos dicimus, sollemne.

v. 18: *Si qua ergo vel vestris scriptoribus litterisve vestris superioribus* (i. e. divinis scripturis), *sed idcirco magis proximis, ... m illius aetatis, fides adiacet, satis de Saturno —.*

Goth. supplebat: *quoniam,* quem recentes secuti sunt. — Sed non ideo magis proximae, quia illius aetatis; nam, si illius aetatis, iam non proximae, sed aequales. Suppleas ergo quaeso: — *sed idcirco magis proximis, immo iam illius aetatis.*

De testimonio animae liber.

Exstat in A B.

c. 2, p. 137, v. 18: Invocatur anima ipsius ethnici, quae, ex sententia Tertulliani scilicet, fidei christianae testimonium ferat: *In tuo foro aliunde iudicem appellas, in tuis templis alium deum pateris.*

Absurdum, immo nihil esset hoc loco *deum pati.* Scribas velim: *deum fateris.*

c. 4, p. 139, v. 7: *Terram gravem imprecaris et cineri penes inferos tormentum* [*tormentum* Gelenius; *stramentum* A B].

Audio; cinis vero neque penes inferos collocari potest neque ullo modo torqueri. Ordinem verborum turbatum esse suspicor scribendumque: *Terram gravem imprecaris cineri et penes inferos tormentum* (scil. animae). Cf. de ressur. carn. 17 (Oehl. II. p. 488): *Nam et nunc animas torqueri foverique penes inferos — probabit Lazari exemplum.*

Scorpiace.

Exstat in A B.

c. 1, p. 146, v. 11 sqq.: *Alios ignis, alios gladius, alios bestiae Christianos probaverunt, alii fustibus interim et ungulis insuper degustata martyria* [ita A B; *degustato martyrio* Gelenius, Reiff.; *insuper ⟨ati post⟩ degustata martyria* Hart. (III, p. 76); *degustatis insuper martyria* Kroym. (p. 64)] *in carcere esuriunt.*

Recte sensit Kroym. „verbum esuriendi carere non posse suo accusativo *martyria*". Auctor enim omnem sententiae vim retunderet, si post martyras collaudatos captivorum sola fame laborantium mentionem faceret. Si autem sensus loci hic est: confessores martyria esurire, iam apparet, cur *interim degustata* martyria dicantur. Itaque verba *degustata martyria in carcere esuriunt* certissime tuenda sunt. Sed et omnino locum sanum esse persuasum mihi est; *fustibus* enim et *ungulis* ablativi sunt, quos dicimus instrumentales. Cf. Verg. Aen. XII, 376:

Lancea consequitur rumpitque infixa bilicem
Loricam et summum degustat volnere corpus.

Quem versum si passive verteris, habebis: corpus (a lancea) volnere degustatum, sicut hic: martyria (scil. a martyre) fustibus et ungulis degustata. — Nec quicquam miri habet,

ut puto, illud *insuper;* revera enim ungulae fustibus, ut rariores, ita et acerbiores sunt.

c. 8, p. 160, v. 19: — *Siquidem honorata est apud illum* (deum scil.) *mors religiosorum ipsius, ut canit David, non, opinor, ista communis et omnium debitum —, sed illa quae in ipso aditur ex testimonio religionis et proelio confessionis pro iustitia et sacramento.*

Ad quem locum adnotat Kroym. (p. 68): „Quomodo intellegam illud *in ipso?* necessario addendum mihi videtur: *quae in ipso aditur ⟨martyrio⟩ ex testimonio —.*"

Nihili est, quod dicit vir doctus. *Ipsum* enim de deo dictum intellegas, sicut supra scriptum legitur: *mors religiosorum ipsius.* Mortem autem in deo adire sane dici potest pro *in martyrio.* Cf. p. 388, v. 16: — *his, qui mortui in Christo primi resurgent,* et ib., v. 28: *Quomodo Perpetua fortissima martyr sub die passionis in revelatione paradisi solos illic commartyras suos vidit, nisi quia nullis romphaea paradisi ianitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint?*

De oratione liber.

Exstat in A usque ad c. 21, in B usque ad c. 19, in cod. Ambrosiano (D) a c. 9.

c. 1, p. 180, v. 4: *Dei spiritus et dei sermo et dei ratio, sermo rationis et ratio sermonis et spiritus utriusque, Iesus Christus, dominus noster, nobis* [ita libri et edd.; *novis* Pamelius, Reiff.] *discipulis novi testamenti novam orationis formam determinavit.*

Perabsurda mihi esse videtur Pamelii mutatio. Qui enim essent veteres discipuli? Num Moyses? An prophetae?

c. 5, p. 184, v. 7: Interpretatur Tert. orationem illam: VENIAT REGNVM TVVM. Haec sunt verba in A: *Quomodo quidam protractum quendam saeculo postulant, cum regnum dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem saeculi tendat?*

Si haec tantum verba spectes, num quid obscurum erit? Immo, quid clarius? Haec sane dicere videtur Tert.: oramus cottidie, ut mox adveniat regnum domini, et cum eo igitur iudicium ac saeculi consummatio. Quomodo ergo iidem postulare possumus, ut iudicium et saeculi consummatio differatur? — Quae interpretatio et omnibus sequentibus huius capitis sententiis confirmatur. Pergit enim sic auctor: — *etiamsi praefinitum in oratione non esset de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissemus, festinantes ad spei nostrae complexum. Clamant*

ad dominum invidia animae martyrum sub altari: Quonam usque non ulcisceris, domine, sanguinem nostrum de incolis terrae? Nam utique ultio illorum a saeculi fine dirigitur. Immo quam celeriter veniat, domine, regnum tuum, votum Christianorum, confusio nationum, exultatio angelorum, propter quod conflictamur, immo potius propter quod oramus.

Planum igitur est de saeculi protractu hic agi, i. e. de die illa, quae solvet saeclum in favilla. Neque vero hucusque viri docti ita locum interpretati sunt. Cuius rei — satis mirae, ut opinor — altera causa haec est, quod altera quaedam lectio exstat in B. Est autem haec: *Quomodo quidam pertractum quendam in saeculo postulant?* Et *protractum* quidem pro *pertractum* servarunt Rigaltius, Muratorius, Fulvius Ursinus; item Oehl. Illud *in* autem in A non exstare usque ad Reifferscheidii editionem nemo videtur animadvertisse. Qui breviter adnotat: *in* om. A. Quae adnotatiuncula ipsum quoque Hartelium, qui post Reiff. editionem fusius de hoc loco disseruit (IV, p. 1), fugisse videtur. Itaque neque id intellegere poterant viri docti, loqui hoc loco Tert. de protractu saeculi; nam et ii, qui *protractum* servabant, de protractu vitae humanae in saeculo sermonem esse opinabantur, ut Oehlerus. De uno Rigaltio dubitari potest an recte senserit, ut qui adnotet: „orantes pro mora finis". Ios. autem Scaliger *per tractum* scripsit, quod Reiff. in textum suum recepit. Hartelius vero (l. c.) sic scribere voluit: *Quomodo quidam pertactum quendam in saeculo postulant?* ipse scilicet adnotans vocem *pertactus* alias nusquam exstare. Sic interpretatur: Quomodo postulant, ut regnum dei in saeculo quodammodo pertingant?

Causa autem praecipua, ob quam hunc locum omnes fere viri docti parum intellexere, petenda est a sententiis, quae antecedunt. Sic enim incipit caput: VENIAT *quoque* REGNVM TVVM *ad id pertinet, quo et:* FIAT VOLVNTAS TVA, *in nobis*

scilicet. Nam deus quando non regnat, in cuius manu cor omnium regum est? Sed quicquid nobis optamus in illum auguramur, et illi deputamus, quod ab illo exspectamus. Itaque si ad dei voluntatem et ad nostram suspensionem pertinet regni dominici repraesentatio, quomodo quidam protractum quendam saeculo postulant —? Et haec tantum, non et inferiora spectans dicit Hartelius: „Tertullian bezieht die Bitte: veniat quoque regnum tuum auf die Betenden, in denen sich Gottes Reich erfüllen soll: *itaque si ad dei voluntatem — saeculi tendat?* Was der Sinn verlangt: wie können sie das Reich Gottes in diesem irdischen Leben gewissermaßen erreichen? ist ebenso klar wie die Unmöglichkeit, aus *per tractum* oder *protractum* diese Bedeutung abzuleiten."

Manifesta, sane, difficultas ea! At latuisse videtur virum doctissimum Tertullianum priorem precis illius interpretationem relinquentem iam ad alteram transisse, sicut ceteras quoque orationis dominicae preces varia ratione interpretatur, quod si demonstrare vellem, dimidius fere liber mihi exscribendus esset. Cf. tamen c. 1, p. 181, v. 12: *Et tamen brevitas ista —, magnae ac beatae interpretationis substantia fulta est, quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus.*

Haec enim fere nostro loco dicit: oratio illa VENIAT REGNVM TVVM in nobis solis impleri potest, in mundo autem nunc et semper iam impleta est. Deus enim semper regnat neque est ullum tempus, quo non regnet. At (et hic iam incipit transitio illa) si quid nobis optamus, verbis id ita exprimere solemus, ac si ei optaremus. ⟨Nos enim nihil sumus coram facie eius. Itaque omnis oratio pertinet ad dei voluntatem implendam et ad nostram suspensionem vel consummationem.⟩ Maxime autem haec oratio ad nostram, immo ad saeculi consummationem pertinet, quoniam regnum domini advenire

non potest nisi saeculo consummato. Itaque quomodo fit, ut quidam postulare audeant, ut saeculum aliquantum protrahatur, cum ipsum regni dominici adventum oremus?

Neque ita mira est duplex ista interpretatio regni dominici, ut quae iam in evangeliis inveniatur. Cum enim alibi regni caelorum nomine intellegatur civitas iustorum post novissimum iudicium, regnante domino; scriptum legimus apud Luc. 17. 20—21: in nobis ipsis esse regnum dei.

Alioquin id quidem certissimum est, etiam de saeculi fine in hoc capite agi. An et haec verba: *Quonam usque non ulcisceris, domine, sanguinem nostrum de incolis terrae? Nam utique ultio illorum a saeculi fine dirigitur* interpretari quis velit in *pertractum* quendam vel *pertactum* in saeculo?

c. 6, p. 184, v. 21: *Sed quam eleganter divina sapientia ordinem orationis instruxit, ut post caelestia, id est post dei nomen, dei voluntatem et dei regnum terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret!*

In ultimis verbis haereo; nam quo referam illud *petitioni* prorsus nescio. Scribendum erit, ni fallor: *petitionis locum faceret,* id quod idem fere est quod nostrum: ihre Stelle im Gebet einräumen.

v. 26: *Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vita panis.* Ita A B.

Semlerus pro *vita panis* reposuit *vitae panis,* quem secutus est Reiff. Quis autem oculis tam hebetantibus est, ut non videat Tert. syllogismum quendam proferre, hac fere forma:

Christus vita.
Panis vita
ergo: panis Christus.

Itaque codicum lectio servanda est.

c. 7, p. 185, v. 19: Disseruit Tert. de oratione illa: PANEM COTTIDIANVM DA NOBIS HODIE et quibusdam quae referre nil attinet praemissis sic pergit: *Consequens erat, ut observata dei liberalitate etiam clementiam eius precaremur. Quid enim alimenta proderunt, si illis reputamur revera quasi taurus ad victimam?* Ita A B.

Alimentis reputari quasi taurus ad victimam sane minime apte dictum; immo sensu cassum est. Itaque Rigalt. *illi* (scil. deo) scripsit pro *illis*, quam coniecturam Reiff. quoque recepit. Taurus autem ad victimam non reputatur. — Pro *reputamur* scribendum esse ego suspicabar: *saturamur* (coll. p. 198, v. 17) vel potius: *saginamur* (coll. p. 36, v. 10). Verum autem sine dubio invenit Dilesius, vir clarissimus, qui leniore adhibita medela scribendum censet: *repleamur*.

c. 13, p. 189, v. 1: Agitur de quorundam more, qui non nisi lotis manibus ad orationem accedunt: *Id cum scrupulosius percontarer et rationem requirerem, comperi commemorationem esse Pilati manus abluisse in domini deditione* [ita D; *commemorationem esse in domini dedicationem* A B; *commemorationem esse Pilatum manus abluisse* — Reiff.].

Acc. c. inf. a voce *commemoratio* hic pendere vix credideriim; idque eo minus, quia ad illud *comperi* necessario mente supplendum est *id*. Nam sententia sic explicari non potest, ac si directo, quem dicimus, sermone diceretur: commemoratio est Pilatum manus abluisse; Pilatum enim tunc manus abluisse ex Tertulliani sententia haudquaquam commemoratio est, sed factum in scripturis traditum ideoque verum atque indubitatum. Ob eandem autem causam nec dirimi possunt sententiae, ut distinguas: *comperi* (scil. id) — *commemorationem esse Pilati: manus abluisse* — (scil. comperi). Nam quid fecisset Pilatus in domini deditione,

plane non tunc demum comperit Tert., cum illius moris rationem requirebat, sed tunc, cum primum evangelia inspexit. Genitivus autem *Pilati,* quem exspectes, quoniam in codice traditur, omnimodo servandus erit. Itaque sic verba auctoris restituam corruptelasque explicem. Scripsit Tert.: *comperi commemorationem Pilati manus abluti esse in domini deditione.* Tum levissimo errore factum est, ut in archetypo scriberetur *abluisse* pro *abluti esse.* Porro lector librariusve quidam illud quod interciderat *esse* supplevit post *commemorationem;* et ita orta est illa lectio, quam D servavit. Alterius autem librarii cuiusdam oculus aberrasse videtur ab *esse* ad *abluisse;* et sic omissa sunt verba *Pilati manus abluisse.* — Ad accusativum autem illum *manus ablutus* cf. Hart. III, p. 14 et ex locis illic citatis inprimis p. 86, v. 18: *Oedipus — trucidatus oculos.*

c. 17, p. 190, v. 27: Habitum humilem praecipit Tert. orantibus: *Sono* [*sono* D; *sonos* A B] *etiam vocis subiectos* [*subiectos esse* B] *oportet.*

Ex A restituendum esse mihi videtur: *Sono* ⟨*no*⟩*s etiam vocis subiectos oportet,* cum Ambrosiani librarius post syllabam *no* totam voculam *nos* omiserit. Cf. in prioribus locum quoque hunc: *prece et vultu humiliatus atque deiectus.* Illud vero *esse,* ut neque in libris traditum neque necessarium est, ita nihil esse nisi Gangnei interpolationem in propatulo est.

c. 18, p. 191 v. 14: Tractatur quaestio, an etiam diebus ieiunii osculum pacis fratribus conferendum sit: *Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum operationis cum oratio* [ita D; *nisi cum oratione* A B; *nisi cum oratio* Rigalt.; *nisi cum operationis tempore oratio* Oehl.; *nisi cum operantis oratio* Reiff.; *nisi cum operati*⟨*one orati*⟩*onis, cum oratio* Hart.] *commendabilior ascendit?*

Hartelii lectionem probare nequeo; nam in toto capite *operatio* ieiunium est, non oratio. — Si ab A B exordiri liceret, scriberem: *nisi cum orat⟨io, operat⟩ione commendabilior, ascendit.* Ex D autem restituerim: *nisi cum operationis ⟨gratia⟩, cum oratio commendabilior ascendit.*

c. 22, p. 193, v. 10 sqq.: Contendit Tert. non mulieres solum sed etiam virgines in oratione velari debere. Adversarius id premit, apostolum, cum feminas velandas esse iubeat (1. Cor. 9, 5), non de feminis generaliter loqui, sed tantum de mulieribus, virginibus scilicet, *altero sexus gradu,* exclusis. Contra Tert. haec: *Quid est mulier a primis quidem litteris sanctorum commentariorum? Iam inveniunt* [adversarii scil.; forsitan scribendum sit: *invenient*] *sexus esse nomen non gradum* [*grad̄* D, in quo solo haec libri pars exstat] *sexus; siquidem Evam nondum virum expertam deus mulierem et feminam cognominavit, feminam, qua sexus generaliter, mulierem, qua gradus sexus specialiter. Ita quoniam tunc innupta adhuc Eva mulieris vocabulo fuit, commune id vocabulum et virgini factum est. Nec mirum, si apostolus — eadem voce usus est mulierem ponendo, quae exemplo Evae innuptae et virgini competat.*

Et primum quidem vix dici posse crediderim: *mulier* sexus nomen est, non sexus gradus. Quoniam autem non *gradum* traditur, sed tantum *grad̄,* scribendum videbitur: — *sexus esse nomen, non gradus sexus* (scil. nomen).

Praeterea autem omnia illa verba *feminam, qua sexus generaliter, mulierem, quae gradus sexus specialiter* interpolationem esse eamque insulsissimam mihi quidem persuasum est. Verba enim *mulierem, qua gradus sexus specialiter* non solum omni ipsius auctoris argumento, sed et ipsis verbis eius repugnant. Vult enim probare appellationem mulierum virgini-

bus quoque competere. Ut exemplum gravissimum affert Evam *nondum virum expertam* et tamen a deo mulierem cognominatam. Si ergo quamquam nondum virum experta mulier appellatur, utique ita cognominari non potest propter *gradum sexus,* h. e. quia iam virum experta est; sicut et ipso ineunte enuntiato auctor dixerat *mulierem* in scripturis *non gradum sexus specialiter* significare. — Accedit quod haec verba, et si omittas absurditatem, grammaticam interpretationem prorsus mullam admitterent.

De baptismo liber.

Exstat in B.

c. 2, p. 202, v. 5: *Nonne mirandum* ***et*** *lavacro dilui mortem?*

Scribas velim: *Nonne mirandum est* —. De *et* pro *est* cf. Kroym. p. 138.

c. 3, p. 203, v. 13 sqq., in laude aquae: *Non enim ipsius quoque hominis figurandi opus sociantibus aquis absolutum est? De terra materia convenit [al. deest* Bmg.; om. Gel.; del. vult Kroym. p. 74], *non tamen habili [habilis* Gel.; del. Kroym, l. c.], *nisi humecta et sucida, quam scilicet ante quartum diem segregatae aquae in stationem suam superstite humore limo* [del. Kroym.] *temperarant [temperarant* recte Latinius; *temperant* B].

Adsentior Kroymanno *convenit* illud delenti: „plus unum enim librum eum (i. e. Gangneium) adhibuisse quis crediderit?“ At recte, opinor, sensit Gangn. hic aliquid intercidisse. Nam verbis *de terra materia* per se sententia absolvi vix potest propter illud *habili*, quod sequitur, quodque ad *materia* referatur necesse est. Scribam igitur: *de terra ⟨quidem⟩ materia* (scil. est).

Cetera vero sana esse, sicut tradita sunt, persuasum mihi est. Vocem enim *limo*, quam delere vult Kroym.

ut interpretamentum ad verba illa *superstite humore,* dativum accipio = in limum (cf. p. 360, v. 16: *huc temperat illam allegorian)*; ideoque sic verterim locum: die Erde —, welche die — abgeflossenen Wässer durch die (scil. von ihnen) übrig bleibende Feuchtigkeit zu Schlamm erweicht hatten. *Limum* enim Tert. saepe appellat terram, de qua corpus humanum *figulatum* est. Cf. De carn. Christ. c. 8—9 (Ochl. II, p. 443). — Cur autem *habili* delendum sit, prorsus nescio. Neque melius intellego Kroymanni argumenta ad hanc rem fulciendam prolata. Quam ob rem sufficiat mihi ipsius auctoris sententiam interpretari: contendit aqua interveniente hominem a deo confictum esse. Hoc argumentum adfert: nisi terra (i. e. *limus,* ex quo hominis corpus confictum est) humecta fuisset, neque habilis fuisset ad hominis corpus formandum; humecta autem non fuisset, nisi aquae in limum eam temperassent.

c. 5, p. 206, v. 3: Piscina Bethsaida figurari baptismum vult Tert. *Figura ista* [ita B; *figuram ista* Reiff.] *medicinae corporalis spiritalem medicinam canebat.*

Nihil est, quod scripsit Reiff. Quae Gangn. tradit sana esse arbitror neque ulla indigere interpretatione.

c. 9, p. 208, v. 12: *Item aqua de amaritudinis vitio in suum commodum suavitatis* [ita B; *in usum commodum suavitatis* Latinius; *in usum commodae suavitatis* Reiff.] *Mosei ligno remediatur. Lignum illud erat Christus venenatae et amarae retro naturae venas in saluberrimas aquas baptismi scilicet ex sese remedians.*

Nescio, cur viri docti noluerint *in suum commodum suavitatis* retinere. *Commodum suavitatis* enim merito opponitur *amaritudinis vitio; suum* autem *proprium* est, quae interpretatio et verbo remediandi confirmatur.

c. 17, p. 215, v. 10: *Petulantia autem mulier, qua usurpavit docere, utique non etiam tinguendi ius sibi pariet.*

Ita scribas velim una tantum littera deleta. Haec enim praebet B: *Petulantia autem mulier, quae.* — Viri docti id non perspexisse videntur, *petulantia* ablativum esse instrumentalem. Itaque coniecturis temerariis peccaverunt. Ursinus enim scripsit: *Petulantia mulieris,* quod placuit Reifferscheidio; Gelenius autem: *Petulantia mulierum;* denique Oehlerus: *Petuantiae mulier.*

De pudicitia liber.

Exstat in B, C et in editione Gelenii.

c. 2, p. 224, v. 11: Dividit Tert. delicta in ea, quae remitti possunt, et in non remittenda. Citat primam Johannis epistolam (5, 16) his verbis: *Sed et Johannes docebit: ‚Si quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit et dabitur vita ei; quia non ad mortem delinquit', hoc erit remissibile. ‚Est delictum ad mortem; non pro illo dico, ut quis postulet', hoc erit inremissibile. Ita ubi est postulationis, illic etiam remissionis; ubi nec postulationis, ibi aeque nec remissionis. Secundum hanc differentiam delictorum* —.

Ita B; post *postulationis* Reiff. Ursinum secutus addidit: *ratio; vis* Oehl; *ius* Hart. (IV, p. 17). — Sed minime mihi quicquam videtur supplendum esse, nisi mente tantum *delictum*, quae vox in sententiis antecedentibus saepissime occurrerat. — Ad structuram *postulationis delictum* cf. p. 233, v. 29: *eius delicti christianus.*

c. 5, p. 227, v. 21: Induxerat auctor homicidium et idololatrian, quae arcte se cum moechia coniuncta esse docent. Et verba quidem haec sunt (v. 4): — *si qua vox fuerit, reclamabunt.* Tum loco nostro: *Haec ipsi rei loquuntur, si res voce deficiunt: adsistit idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit et moechus.* Ita B et edd. vett.

Quid planius? Ursinus vero haec temere mutavit, haud intellegens, ut videtur, de reis hic agi, i. e. de peccatoribus. Scripsit enim: *Haec ipsae res loquuntur. Si res voce deficiunt, adsistit idololatres.* — Quae coniectura vix intellego, quamobrem Rigaltio, Oehlero, Reifferscheidio placuerit?

c. 6, p. 229, v. 28 sqq.: Vituperat auctor statum hominum Adae peccato depravatum. Haec exstant in B: *In herba usquequaque libidinis virus et lactae sortes non habentes, idoneae quod nec ipsae adhuc aquae laverant* (baptismi scil.). Quae quin absurda sint, nemo umquam dubitavit. Multi multa coniecere. Postremo Hart. (IV, p. 18) haec: *Inhaerebat usquequaque libidinis virus et lacteae sordes, non abeuntes* —, quibus sanata esse puto ultima verba. At in prioribus vix opus est tanta mutatione. Scripsit, ni fallor, Tert.: *In herba usquequaque libidinis virus* (scil. est) *et lacte, sordes non abeuntes* —. Nam *in herba et lacte* significare posse crediderim: iam in primis et tenuissimis principiis.

c. 7, p. 231, v. 2 sqq.: — *τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα καὶ ἀπολέσας ἐξ αὐτῶν ἓν οὐ καταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλός, ἕως εὕρῃ αὐτό; καὶ εὑρὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους αὐτοῦ χαίρων, καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν οἶκον συγκαλεῖ τοὺς φίλους καὶ τοὺς γείτονας, λέγων αὐτοῖς· συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὸ πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός. λέγω ὑμῖν ὅτι οὕτως χαρὰ ἐν τῷ οὐρανῷ ἔσται ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι ἢ ἐπὶ ἐνενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσιν μετανοίας* (Luc. 15, 4—7). Quam parabolam ita adversarii interpretantur, ut ovem perditam christianum peccatorem esse credant, cui paenitentia acta delicta ab ecclesia remittenda sint. Contra Tert. aliam omnino rationem vult observari; respiciendum enim esse *ea semper*

responderi, quae provocantur, id est ad ea quae provocant. Provocabat, ut opinor, quod Pharisaei publicanos et peccatores ethnicos admittentem dominum et cum illis de victu communicantem indignati mussitabant. Ad hoc dominum [dominum scripsi; *dominus* libri] *pecudis perditae restitutionem cui alii configurasse credendum est quam ethnico perdito, de quo agebatur, non* [de] *christiano, qui adhuc nemo?*

Ita C, quem Agobardino parem fere esse iam supra demonstravimus. In his vero libris, ubi A deficit *(de pudicitia* scil. et *de ieiunio),* plane plurimi faciendus est. Quam ob rem merito eum Reiff. plurimis locis Gangnei atque Gelenii corruptelis coniecturisve praetulit. — Hoc autem loco ne B quidem suadet, ut aliquid mutemus; in quo scil. exstat: *cum alii configurasset reddendum est,* quae verba quin ex eis, quae C praebeat, corrupta sint, dubitari vix potest. Verum id quoque erui potest, utra corruptela ipsi Gangneio, utra codici eius debeatur. Gelenius enim, quem in his libris edendis innumeris fere mutationibus lapsum esse egregie demonstravit Kroym., haec in codice suo (quem cum Gangnei codice arctissime cohaerere constat) legerit necesse est: *cui alii configurasset reddendum est.* — Utrique autem viro docto verbum figurandi *cum* particulam desiderare videbatur, quam Gangn. quidem ex *cui* restituebat, Gelenius autem ex *con,* quippe qui membris sententiae transpositis scriberet: *cum figurasset, cui alii reddendum est.* — Qua re in errorem inductus est Rigalt., qui pessima usus contaminatione reposuit: *cum figurasset, cui alii configurasse credendum est?* Hanc autem lectionem, qua in confingenda Gelenii coniecturis Gangnei coniecturam emendare sibi visus est vir doctus, editores receperunt.

Itaque iam apparet C verum praebere. Nam et si cui scrupulum iniceret illud *ad hoc,* adsentiri ei non possem; referenda

enim sunt haec verba ad totam sententiam, *cui alii* autem ad unum tantum verbum *configurasse,* sicut et nos dicere possumus: wem soll denn sonst, als Antwort hierauf, der Herr jene Wiederauffindung angepasst haben?

Ceterum recte me delevisse illud *de* ante *christiano,* vix quisquam negaturus sit. Nam opponuntur *ethnico* et *christiano,* sicut et sibi invicem respondent *de quo agebatur* et *qui adhuc nemo.* Et ex eo corruptela orta esse videtur, quod librario illud *de* adhuc in mente erat. Eodem modo simile vitium explicandum est infra p. 232, v. 9: — *totus hic mundus una omnium domus est, in qua magis ethnico gratia dei inlucet, qui* **in** *tenebris invenitur, quam [in] christiano, qui iam in dei luce est,* ubi iam Pamelius errorem correxit.

v. 22 sqq.: *Sic etsi ethnicorum reliquum numerum iustum ait, non ideo christianos esse ostendit, cum Iudaeis agens —. Aut numquid non iusti Iudaei et quibus* (h. e.: et tales quibus; *iusti et Iudaei* suspicatus est Harnackius) *paenitentia opus non esset, habentibus* [*habentibus* C; *habentes* B] *gubernacula disciplinae et timoris instrumenta, legem et prophetas?*

Et primum quidem „hic omnem sententiae perspicuitatem illud *ethnicorum* ante *reliquum numerum* obscurare“ recte monuit Kroym., p. 83 (cf. et van der Vliet, p. 94, qui scribere vult: ⟨*non*⟩ *ethnicorum):* „Nam si incertum non est, qui sint reliquus ille numerus, — omnino disputatione opus non est. Denique revera reliquus ille numerus non erant ethnici, sed, secundum Tertulliani opinionem, Iudaei (232, 1—2), secundum adversariorum: populus christianus.“ Censet igitur verbum *ethnicorum* interpolationem esse „eamque stupidissimam“.

Sed haud scio an non tam interpolatio sit, ideoque delendum quam corruptela, quam sanare praestat. Sic enim Tertullianum scripsisse suspicor: *Sic etsi ovium reliquum numerum iustum*

ait. Tum dittographia iterata est vox *etsi*, et ex *etsi ovium* factum est *ethnicorum.* — ⟨*Pe*⟩*corum* pro *ovium* mavult pater Theodorus.

Quod vero infra C *habentibus* praebet, B autem *habentes*, utrumque Tertullianum scribere potuisse in propatulo est, et: *non iusti Iudaei, et* (scil. tales), *quibus — non opus esset, habentes —*, et: *non iusti Iudaei, et quibus — non opus esset habentibus.* — Cuius rei equidem mentionem non fecissem, nisi Kroym., postquam recte et quod B praebet interpretationem admittere ostendit, mira haec verba subiunxisset: „inde liquet et hic librum Ioannis Clementis praebere coniecturam". Liquet autem multo magis, opinor, Clementinam lectionem tanti faciendam esse quanti Gangneianam; quid enim scripserit auctor, diiudicari non potest.

Quid autem sibi voluit vir doctissimus, cum dixit: et hic? Idem, ni fallor, quod in praefatione ait (p. 10): „Peioris eum fuisse notae et coniecturis depravatum — cum ad rem accessero per singulos locos demonstrabo." Nihil autem usquam demonstravit; ipse enim hic locus unicus est, quo vel ipse coniecturam huic codici tribuat. Itaque, quantum valeat illa codicis optimi pretiosissimique vituperatio, iam ipse videbis; nec mihi opus erit cum viro doctissimo de hac re fusius altercari.

c. 8, p. 235, v. 11: Agitur de interpretatione parabolae illius, quam vulgo dicimus filii perditi. Adversarii filium maiorem, qui domi manet, populum Iudaeum figurare volunt, minorem, i. e. prodigum, populum Christianum. Hanc opinionem dissertatione fusiore redarguere conatur Tert. Tum pergit: *Ita etsi quaedam facient, [et] aliis contra sapientibus interimitur exemplorum peraequatio.* Ita Reiff.; *et* B; *sed* Gelenius.

Illud *sed* quod praebet Gel., utrum codici debeatur an coniecturae nescio: inter verba auctoris autem plane erat recipiendum. *Sed* enim pro *tamen* a Tertulliano identidem usurpari omnes sciunt, qui huius auctoris scriptis vel aliquantulum incubuerunt. Egregium exemplum habes in ipso hoc capite (p. 234, v. 18): *licet enim filius audiat et Iudaeus et maior —, licet et christiano reconciliationem — invideat, sed non erit Iudaei dictum ad patrem —.*

c. 11, p. 240, v. 1 sqq.: Adversarius, qui moechiam Christianis quoque dimitti opinatur, sic invocatur: *Age tu, funambule pudicitiae et castitatis et omnis circa sexum sanctitatis, qui tenuissimum filum [filum* recte Gel.; *filium* B] *disciplinae* [ita recte Reiff.; *disciplina* B] *eiusmodi, a verae* [scil. disciplinae; *verae* Hartel IV, p. 27; *vere* B] *via pendentem* [ita B; *avia pendente* Gel.] *vestigio ingrederis, carnem spiritu librans, animum [animum* scripsi propter illud quod sequitur (v. 7): *animi avocatio; animam* libri] *fide moderans, oculum metu temperans, quid itaque in gradu totus [tutus* Hart. l. c.] *es? Perge sane [pergesne* Gel.], *si potueris, si volueris, dum tam [tamen* B] *securus et quasi in solido es. Nam si qua te carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio de tenore decusserit, deus bonus est. Suis, non ethnicis sinum subicit: secunda te paenitentia excipiet; eris iterum de moecho Christianus.*

Sic plurimis virorum doctorum, quos adnotavi, coniecturis receptis locum sane difficillimum adipisci interpretationem crediderim. Quod dicit auctor: *a verae via pendentem,* intellege a = abs. Sic et altero loco usurpatur, de spect. c. 10, p. 12, v. 5: *A loci vitio theatrum proprie sacrarium Veneris est. — (Nam saepe censores nascentia — theatra destruebant moribus consulentes —. Itaque Pompeius Magnus — non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum.)*

Coniectura Hartelii autem *(tutus* pro *totus)* a loci sententia aliena esse mihi videtur. Hoc est argumentum viri doctissimi: „Aber auch die folgende Frage: „Was bleibst du demnach ganz in deiner Stellung?“ ist nicht passend. Wir erwarten vielmehr: „Wie kannst du demnach dich in deiner gefahrvollen Lage so sicher fühlen?“ Ita autem ironia tolleretur. Vertendum enim erit: Was achtest du denn noch so viel auf deine Schritte? (totus sum in gradu: ich bin ganz bei meinen Schritten). Geh doch vorwärts, wenn du dich so sicher fühlst; — wenn du fällst, so ist ja Gott ein guter Mann und wird dich schon auffangen.

c. 14, p. 248, v. 23: A deo postulabatur, ut incestus *per mortem hanc quoque — carnis ipsius, quae iam cadaver corruptivum esset, [et] immunditia inrecuperabili tabiosum, plenius de ecclesia debeat auferri.*

Cur Latinius *et* illud, quod uncinis seclusi, addiderit, in obscuro est.

c. 15, p. 251, v. 1: Contendit Tert. Paulum loco illo 2 Cor. 2, 5—8 incesto Corinthio veniam non concessisse, immo veniam moechis et fornicatoribus omnino denegasse. Ad quam opinionem confirmandam affert alios eiusdem apostoli locos: *Compara denique, an eius sit dicere: „Propterea habentes ministrationem istam, — non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris“, qui non dedecoris tantum, sed et sceleris manifestum dedamnaverit* [ita Gel., edd.; *manifestando damnaverat* B].

Sententia haec sit necesse est: eius non est dicere: abdicamus occulta dedecoris, qui — ex adversariorum sententia — altero loco vel manifesta scelera dimiserit. Cui sententiae cum ea, quae B praebet, *manifestando damnaverat,*

plane nullo modo conveniant, viri docti Gelenii lectionem recipiebant, qua confisi verbum dedamnandi idem fere significare credebant atque absolvere. Verum hoc verbum in omni latinitate alias nusquam invenitur. Plane autem Gelenius non is erat, quem *ἅπαξ λεγόμενα*, quae dicimus, servasse veri simile esset. Accedit, quod, si quid omnino sit, *dedamnare* potius prorsus vel in interitum damnare significare exspectes, siquidem denegare idem non sit atque affirmare, neque devitare idem atque visere. Denique, et si cetera concedas, quae Gel. praebet integra plane non sunt. Opponi enim vix possunt *occulta dedecoris* et *sceleris manifestum*. Itaque et hunc locum qui sanare vult, ei a Gangneio exordiendum erit.

Et primum quidem haud dubium mihi esse videtur opponi hic *occulta dedecoris* et *sceleris manifesta*. Quod si demas a Gangneiana lectione *manifestando damnaverat,* quam in codice scriptam fuisse veri simile est *manifestādodānaverat,* restant litterae *dodānaverat*. Sententia autem, ut dixi, esse debet: dimiserat. Quibus disputatis si recogitaveris remissionis terminum Tertulliano sollemnem esse *donare,* iam perspicies, quomodo menda inrepserint. Fuit in archetypo *manifestadonaverat,* ex quo iterata syllaba *do* factum est *manifestadodonaverat,* et parvula accedente corruptela *manifestadodanaverat*. Quae Gangneius quidem vel librarius, qui codicem eius exaravit, sic distinguendo mutandoque intellegere sibi visus est: *manifestādo dānaverat;* Gel. autem sic distinxit atque mutavit pro ingenio audaciore: *manifestū dedānaverat*. Scribendum igitur est, ni fallor: *manifesta donaverit* verbumque dedamnandi omnino damnandum.

c. 16, p. 245, v. 20. *Λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις, καλὸν αὐτοῖς ἐὰν μείνωσιν ὡς κἀγώ· εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται,*

γαμησάτωσαν· κρεῖττον γάρ ἐστιν γαμεῖν ἢ πυροῦσθαι (Praeest nubere quam uri. — 1 Cor. 7. 8—9). Duplicem concedit Tert. interpretationem esse verborum *praeest nubere quam uri. Uri* enim aut de ignibus gehennae aut de ignibus concupiscentiae intellegere aliquis possit. De ignibus enim gehennae loquatur apostolus, si sic verba excipias: si quis non nubit, fornicatur; fornicator autem in gehennam damnatur. Haec est interpretatio Tertulliani, ut qui hoc ipsum probare velit: fornicationem veniam consequi non posse. De ignibus concupiscentiae autem agatur, si sic intellegas: qui caelibem vitam agit, feminarum usu omnino abstinet; castus vero concupiscentiae flammis uritur. Haec est interpretatio adversariorum, ut qui fornicationi veniam tribuant. Contra quos Tert. hoc argumentum profert: *Atquin si fornicatio habet veniam, non erit concupiscentia eius.*

Ita B, quod servandum est. Hoc enim dicit auctor: Contenditis fornicationi veniam esse; at, si veniam habet fornicatio (et hic lusu fere verborum utitur, adversariis, qui hoc solum contendunt: fornicationem veniam consequi posse, fictam sententiam tribuens, ex qua veniam habeat, i. e. licita sit), iam fornicabitur, quisquis nuptiis abstinet; itaque neque concupiscentia uretur, et iam videtis interpretationem vestram cum ipsa vestra sententia haudquaquam convenire. — Quod autem scripsit: *concupiscentia eius,* referas ad fornicationem, quae vox pro omni feminarum usu hic usurpatur.

Has subtilissimas profecto argutias non satis hucusque perspexisse videntur viri docti; locum enim variis coniecturis temptaverunt. Pro *erit* scripsit *urit* Iunius, *uret* Latinius, *uritur* Reiff.; Hartelius autem (IV, p. 33): *Atquin, si fornicatio habet veniam, non erit* (venia scil.) *concupiscentia⟨e⟩ eius?*

c. 19, p. 262, v. 23: — *Sane agat paenitentiam, sed [in] finem moechiae, non tamen et restitutionem consecutura.*

Plane immerito *in* additum est a Gelenio.

v. 26: *Denique* **ea** *Apocalypsis* —.

Ea del. Hartelius. Scribendum puto: *ea⟨dem⟩ Apocalypsis,* ut quam paullo ante iam citaverit. Cf. de ieiun. c. 6, p. 280, v. 22: *Denique in eodem Deuteronomio* et scorp. c. 2, p. 147, v. 17: *In eadem Exodo.*

v. 31 sqq.: Sic vertitur Apoc. 21, 7 (*ὁ νικῶν κληρονομήσει ταῦτα*): *Qui vicerint, hereditate habebunt* ***ista*** [ita C: *hereditate***m** *habebunt* ***istam*** B].

Gangnei lectionem coniecturam esse liquet propter illud *istam,* quo plane *ταῦτα* verti nequit. Sed et *hereditate habere* optime usurpari potest pro *κληρονομεῖν.* Utile tamen duxi inquirere, quomodo alibi verterit Tert. verbum Graecum; et omissis illis locis, quibus simpliciter *habere* dicit vel *consequi,* haec sunt quae repperi:

de resurr. carn. c. 48 (Oehl. II, p. 529): *hereditate possidere (hereditati* codd. Vind. et Leyd.),

ib. c. 49 (Oehl. II, p. 532): *hereditate possidere,*

„ „ 49 („ II, „ 533): *hereditate consecuturi,*

„ „ 51 („ II, „ 535): *hereditati habere,*

de pudic. c. 17 (Reiff., p. 256, v. 15): *hereditati consecuturi* (ita C; *hereditate***m** B).

Itaque utramque structuram adhibuisse videtur Tert.: et *hereditate habere,* et *hereditati habere*; *hereditate***m** autem nihil nisi coniectura est Gangnei. — Hoc igitur loco et in c. 17 servanda sunt quae exstant in C.

p. 263, v. 15: Invehitur scriptor in adversarios, qui, ut impudicitiam remitti posse probent, adducunt locum 1 Ioh.,

1, 7: Sanguis filii eius emundat nos ab omni delicto. *Semper ergo et omnifariam delinquemus, si semper et ab omni delicto emundat nos illè; aut, si non semper, non etiam post fidem; et si non ab ⟨omni⟩ delicto, non etiam a fornicatione.*

Merito addidit *omni* ante *delicto* van der Vliet (p. 96). Et quod ad sententiam pertinet, opus non est disputatione. Sed vel eo corroboratur viri docti emendatio, quod adhuc scriptum legimus *ab delicto; ab* enim, ut ex indice Oehleri apparet, uno tantum loco praeter hunc ante consonantem quam dicimus a Tertulliano usurpatur. Neque vero is locus sanus est (adv. Hermog. c. 19, Oehl. II, p. 356). Iam Priorius enim scribere voluit: *Possunt et aliter — interpretari, non abs re tamen* pro eo, quod traditum est *ab re. s* enim ante *r* facillime intercidere posse quis est quin videat?

p. 264, v. 6: — *et emundet nos ab omni iniustitia* (1. Ioh., 1. 9). *Numquid ab immunditia? Aut, si ita est, ergo et ab idololatria?*

Sententiam interrogativam esse accipiendam non intellexit Reiff., qui *at* pro *aut* falso reposuit.

c. 20, p. 266, v. 11 sqq.: Capite 19 permultis locis ex Iohannis et Pauli epistolis citatis demonstrare conatus est Tert. impudicitiae peccatum ab ecclesia remitti non posse. Tum c. 20 ineunte B praebet haec: *Disciplina* [*Disciplinae* Kroym., p. 91] *igitur apostolorum proprie quidem instrumenta determinant* [*instruit ac determinat* Gel., edd.] *principaliter sanctitatis omnis erga* [*circa* quidam] *templum dei sanctitatem et* [*antistitem* Gel., *anxietatem et* Hart.] *ubique de ecclesia eradicantem* [*eradicandum* Oehl.; *eradicant* Kroym.] *omne sacrilegium pudicitiae* [*impudicitiae* Latinius] *sine ulla restitutionis mentione.*

Quae, quamquam inepta, tamen a vero non procul absunt. Primum enim certissima emendatione proposuit Kroym. (p. 91) *propria* pro *proprie*. *Propria* autem *apostolorum instrumenta* hic sunt apostolicae epistolae, cum pro scripturis vox *instrumenta* saepissime usurpetur. Sed et pro singulis earum partibus. E. gr. in c. 33 de resurr. carn. (Oehl. II, p. 508) scripsit Tert.: *propheticum instrumentum*, ib. c. 38 (p. 515): *instrumentum Iohannis*, et ib. c. 39 (p. 516) eadem fere verba: *apostolica instrumenta*. Item hoc ipso libro p. 241, v. 20. — Quid vero hoc loco determinant instrumenta, nisi disciplinam? Sic igitur scribendum erit. — Remanent obscura verba illa *sanctitatem et ubique de ecclesia eradicantem*. Et primum quidem *eradicantem*, quod traditum est, referatur necesse est ad *disciplinam*, quod restitui. Itaque vocem *sanctitatem* sanam non esse liquet, cum sanctitas impudicitiam eradicans dici nequeat. Neque vero Kroymanno adsentior, qui tueri vult *sanctitatis omnis erga templum dei sanctitatem*, quae vertebat: die Unverletzlichkeit jeder Art von Keuschheit gegen den Tempel Gottes. Neque enim sanctitas id est quod Keuschheit = pudicitia; sanctitas enim erga corpus dici potest, pudicitia erga corpus non item; sicut Germanicum quoque: die Keuschheit gegen den Leib nihil est. Itaque quia sane intellegitur, quid sit sancta pudicitia, non ideo id quoque, quid sit sancta sanctitas.

Cum igitur servari nequeant quae tradita sunt, minima erit mutatio, si verbo *sanctitatem* ut ex dittographia orto deleto cetera tuebimur. Itaque hanc lectionem potissimum commendaverim: *Disciplinam igitur apostolorum propria quidem instrumenta determinant principaliter sanctitatis omnis erga templum dei et ubique de ecclesia eradicantem omne sacrilegium pudicitiae sine ulla restitutionis mentione*. Verto: Die Zucht der Apostel wird also durch ihre eigenen Schriften festgestellt vornehmlich

als eine des untadelhaften Verhaltens gegenüber dem Tempel Gottes und als eine, die jede Art von Frevel gegen die Keuschheit durchaus aus der Kirche ausrottet. Recte enim sensit Kroym. tuendum esse *sacrilegium pudicitiae.*

— *sanctitatis omnis erga templum dei sanctum, item et ubique eradicantem* vel tale quid Stowass. — *omnis sanctitatis — sancitricem* vel *sanciunt eam ubique de ecclesia eradicantem* ipse suspicatus eram. *Sancientem* enim, quod voci *eradicantem* optime responderet, quodque in *sanctitatem* facillime corrumperetur, quomodo ad structuram quadrare possit, ego non video, nisi forte ex *principaliter* restituere velis *principali⟨ta⟩tem*, coll. c. 13 de an. (p. 317, v. 29 sq.), quod tamen proponere vix audeo.

De ieiunio adversus psychicos liber.

Exstat in B C et in editione Gelenii.

c. 1, p. 275, v. 1—2: *De modo quidem nubendi iam edidimus monogamiae defensionem. Nunc de castigatione victus secundae vel magis primae continentiae pugna est* [*secundae — primae* B; *secunda — prima* Ursinus., edd.].

Nulla mutatione opus esse crediderim; nam cum traditum sit *continentiae pugna,* intellegas necesse est pugnam quandam pro continentia; itaque nihil obstat, quominus dicatur: pugna pro secunda, vel potius pro prima continentia. Verba autem *de castigatione victus* non: um die Einschränkung der Nahrung vertenda sunt, sed: in Bezug auf —. Ut Graecum quoque talis structurae exemplum afferam, loco utar, quem benigne mihi enotavit pater Theodorus, Aristot. poet. c. 23 in.: *περὶ μὲν οὖν τραγῳδίας καὶ τῆς ἐν τῷ πράττειν μιμήσεως ἔστω ἡμῖν ἱκανὰ τὰ εἰρημένα· περὶ δὲ τῆς διηγηματικῆς καὶ ἐν μέτρῳ μιμητικῆς, ὅτι δεῖ τοὺς μύθους κτέ.*

c. 2, p. 276, v. 27: *Opus est de totis praecordiis credam, diligam deum et proximum tamquam me* [*proximum mihi* C].

Liquet quod C praebeat *mihi* ex *tamquam me* ortum non esse, sicut nec hoc ex illo. Restituendum erit archetypi lectio talis: *proximum mihi tamquam me.* Alii enim librarii alia membra omiserunt. Cf. alterum quoque locum, quo haec domini verba

ab auctore citantur, de cultu femin. II., 2: *proximum tuum sicuti te ipsum,* et ipsam scripturam (Matth. 22. 39): *τὸν πλήσιόν σου ὡς σεαυτόν.*

c. 5, p. 279, v. 11: *Nam et primus populus primi hominis resculpserat crimen, pronior ventri quam deo deprehensus, cum, de duritia Aegyptiae servitutis valida manu dei et sublimi bracchio ereptus, dominus eius visus est terrae — lacte et melle manantis — destinatus* (scil. esse), *statim autem solitudinis incopiosae circumspectu scandalizatus in Moysen et Aaron mussitavit.*

Ita si distinguantur, bene se habeant, ni fallor, quae traduntur. Editores vero Gelenium secuti ad unum omnes scripsere: — *cum de duritia Aegyptiae servitutis valida manu dei et sublimi bracchio ereptus dominus eius* (cuius dominus?) *visus est, terrae lacte et melle manantī [manantis* B] *destinatus* (quamquam verba *terrae — destinatus* ex structura prorsus excidunt) *statim autem — mussitavit.*

c. 7, p. 283, v. 14: *Circa somnium regis Babylonis omnes turbantur sophistae, negant ultra de praestantia humana posse cognosci. Solus Daniel deo fidens — spatium tridui postulat, — ieiunat, atque ita orationibus commendatis et ordinem et significationem somnii per omnia instruitur.*

Verba *per omnia* nescio quid sibi velint, et miror sane, quod nemo adhuc ipsum Danielis librum inspexisse videtur; ibi enim (2. 19) invenisset deum Danieli significationem somnii regalis in *somnio* revelasse. Itaque scribendum erit: *per somnia.*

c. 15, p. 293, v. 13: In c. 14 apostolum saepius laudabat Tert. Tum pergit: *Reprobat etiam illos, qui iubeant cibis ab-*

stinere, sed de providentia, spiritus sanctus, praedamnans iam haereticos perpetuam abstinentiam praecepturos ad destruenda et despicienda opera creatoris.

Non puto merito viris doctis placuisse Ciacconii coniecturam, qui ad *reprobat* mente *apostolus* ut subiecto suppleto scripsit: — *sed de providentia spiritus sancti.* Cf. de resurr. carn. c. 24 (Oehl. II, p. 498. 19 sqq.): *Et ideo maiestas spiritus sancti perspicax eiusmodi sensuum et in ipsa ad Thessalonicenses epistula suggerit* —.

c. 16, p. 295, v. 9: Loquitur auctor de Samea, cui falsus quidam propheta persuaserat, ut ederet, cum deus ieiunium ei imperasset (1 Reg. 13, 18): *Mox ab alio sene mentito prophetam temere pastus* —.

Egregiam Pamelii emendationem: *prophet⟨i⟩am,* nescio cur et Oehlerus et Reiff. spreverint.

c. 17, p. 296, v. 24: Tert. fidem segnem psychicorum amarissime perstringens: *Apud te,* inquit, *agape in caccabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet.*

Quae verba Gelenius levissima eaque insulsissima codicis sui corruptela deceptus ita corrupit, ut *culmis* pro *culinis* scriberet, cuius errorem Reiff. recoxit.

De anima liber.

Exstat in A B.

c. 1, p. 299, v. 13: Socrates — *post sententiam obviae coniugi et muliebriter inclamanti: iniuste damnatus es, Socrates! iam et de gratulatione responderat: volebas autem iuste?*

Verba *de gratulatione* nescio cur viris doctis haud placuerint. Suspicatus est Reiff.: *de ⟨So⟩crat⟨ic⟩a ratione,* Hart. in nota editionis: *de grat⟨a sim⟩ulatione.* Ipse autem quae tradita sunt tuenda esse demonstravit (IV, p. 48). — Parvulo tamen mendo verba laborare putaverim; scribendum enim erit: *iam* ***ut*** *de gratulatione responderat,* i. e. tamquam gavisus.

c. 3, p. 303, v. 14: *Ea* (scil. quaestiones philosophicae) *erunt Christianis enubilanda et percutientibus argumentationes originales, id est philosophicas, et opponentibus definitiones caelestes, id est dominicas.*

Vocem *originales* hoc loco Tert. certissime non scripsit. Si enim Oehleri indicem et locos ibi citatos inspexeris, videbis *originalis* apud Tert. semper idem esse quod *patriarchalis* vel *propheticus* vel *divinus.* Hic autem vocibus *dominicus* ac *caelestis* opponeretur. Restituendum ergo erit vocabulum quoddam, ut *obscurus* vel *terrenus* vel *daemoniacus.* Neque tamen nihi contigit, ut qua ex voce corruptum sit *originalis* investigarem.

c. 5, p. 304, v. 20 sqq.: Affert Tert. Zenonis syllogismum quendam, quo ille animam corpus esse demonstraturus erat:

Quo digresso animal emoritur, corpus est;
consito autem spiritu digresso animal emoritur;
ergo consitus spiritus corpus est.
Consitus autem spiritus anima est;
Ergo corpus est anima.

Quae omnia parum intellego. Nam spiritum consitum corpus esse, quod tertia propositione probatur, satis constat, neque opus est, ut argumentis fusius demonstretur. Si autem constaret animam esse spiritum consitum, quod quarta propositione praesumitur, ipsa re et id constaret, animam corpus esse. Accedit, quod nec prima propositio concedi potest; non enim corpore, sed anima digressa animal moritur. Haec omnia me, quamquam satis invitum, coegerunt, ut haec suspicer: ter *corpus* pro *anima* positum esse et invicem. Sic enim syllogismum restituebam:

Quo digresso animal emoritur, anima est;
consito autem spiritu digresso animal emoritur;
ergo consitus spiritus anima est.
Consitus autem spiritus corpus est;
ergo corpus est anima.

Quae suspicatio certissime confirmatur loco Chalcidii in Timaeum c. 220 (255 Wrobel; Trost, Zenonis de rebus physicis doctrinae fundamentum p. 71), ubi legitur: *Spiritum quippe animam esse Zenon quaerit hactenus:*

Quo recedente a corpore moritur animal, hoc certe anima est.
Naturali porro spiritu recedente moritur animal:
Naturalis igitur spiritus anima est.

v. 27: Egregie Hartelius (IV, p. 51 sq.) duobus hic Cleanthis argumentis distinctis utrumque paucissimis muta-

tionibus in universum fere sanavit. Et prius quidem ex Hartelii recensione hoc est: *Vult et Cleanthes non solum corporis lineamentis, sed et animae notis similitudinem parentibus in filios: respondere de speculo scilicet morum et ingeniorum et adfectuum. Corporis autem similitudinem et dissimilitudinem capere et animam. Itaque corpus similitudini vel dissimilitudini obnoxium.*

Postrema servavit, ut tradita sunt in B; A enim hoc loco deficit. Sic verba interpretatur: „*Itaque corpus — obnoxium* (scil. est), wozu als Subject *anima,* oder, indem wir den Satz noch von *Cleanthes vult* abhängen lassen, *animam esse* zu ergänzen ist". — Verum si animadvertas amborum Cleanthis argumentorum singula membra accuratissime sibi respondere, alteriusque finem hunc esse: *igitur anima corpus,* ***ex*** *corporalium passionum communione,* forsitan tibi persuadeas verba *similitudini — obnoxium* rationem contineant necesse esse, cur corpus anima sit. Quam ob rem scribas velim: *Itaque corpus* (scil. est anima), ⟨***si***⟩ ***si****militudini vel dissimilitudini obnox****ia****.*

c. 6, p. 307, v. 5 sqq.: Refutare conatur Tert. opinionem eorum, qui ideo animam rem incorporalem esse arbitrantur, quia nonnisi spiritalibus alimentis alatur, ut sententiis philosophorum et aliis huiusmodi rebus. *Quid autem facient tot ac tantae animae rupicum et barbarorum, quibus alimenta sapientiae desunt, et tamen indoc****tae*** [ita A B: *indoc****ta*** Gel., edd.] *prudentia pollent, et sine academiis et porticibus Atticis et carceribus Socratis, denique ieiunantes a philosophia nihilominus vivunt? Non enim substantiae ipsi* (scil. animae) *alimenta proficiunt studiorum,* ***sed*** *disciplinae, quia nec opimiorem animam efficiunt, sed ornatiorem.*

Indoctae quod traditur, cur sanum non sit, prorsus nescio. Nam etsi concedendum est τὸ ὀξύμωρον aliquantulum

acutius exprimi, si scribas: *indocta prudentia*, tamen, quod ad rem ipsam, unum idemque est: quamquam indoctae (animae scil.), tamen prudentia pollent, et: pollent prudentia, quamquam indocta. — In postremis autem *sed disciplinae* in libris recte traditum et ab editoribus merito receptum est. Reiff. vero planam, immo planissimam scriptoris sententiam haudquaquam perspiciens locum temere attemptavit. Scribebat enim: *non — substantiae ipsi* ***vel*** *disciplinae.* — Neque vero parallelismum, quem dicimus, animadvertit, quo verba illa priora *non substantiae — quia nec opimiorem* posterioribus *sed disciplinae — quia ornatiorem* respondent.

c. 9, p. 309, v. 25: *Cum animae corpus asserimus propriae qualitatis et sensui* [ita A; *et sui* B] *generis, iam —.*

Fortasse ex ETSENSVI restituendum est ESSEETSVI, scribendumque: *cum animae corpus asserimus propriae qualitatis esse et sui generis —.*

c. 9, p. 311, v. 6: *Tu nec si res ipsa de singulis persuaserit, credas?* (scil. animae colorem esse). *Si enim corpus anima, sine dubio inter illa quae supra sumus professi. Perinde et coloris proprietas omni corpori aderit.*

Quae omnia servari possunt, ut opinor, sublata falsa distinctione. Dicere enim vult auctor animae inter ceteras corporum proprietates colorem quoque tribuendum esse. Et quia de ceteris animae corporalis proprietatibus iam supra capite ineunte disseruit, hic scripsit: *inter illa* (parvula emendatione usus *alia* pro *illa* scribat cui lubet!), *quae supra sumus professi, perinde et coloris proprietas omni corpori aderit.* Mente enim supplendum est: ergo et animae. Si autem corrigere aliquid velis, scribas: ⟨*ut*⟩ *omni corpori.* — Itaque gravioribus mutationibus opus non est, quae viris doctis

placuerunt. Nam *adhaeret* pro *aderit* omnes editores scripserunt lectione Gangnei recepta. Deinde Hartelius pro *inter* reponebat *in se fert* vel *et fert* (IV, p. 54). Reiff. autem lacunam signaverat ante *illa,* quam tota, ut ita dicam, fabella explevit. Haec enim intercidisse putat: *teneri eam et teneram esse.*

v. 21: Formam quoque humanam animae vindicat auctor his verbis: *Sic et effigiem de sensu iam tuo concipe non aliam animae humanae deputandam praeter humanam et, siquidem* [*et siquidem* scripsi; *etsi quidem* A B; *et quidem* vocula *si* deleta edd.], *eius corporis, quod unaquaeque circumtulit.*

c. 11, p. 316, v. 8: *Cecidit enim ecstasis super illum* (Adam scil.), *sancti spiritus vis operatrix prophetiae. Nam et malus spiritus accidens res est. Denique Saulem tam dei spiritus postea vertit in alium virum, id est in propheten, cum dictum est: quid hoc filio Cis? an et Saul in prophetis?, quam et mali spiritus* [ita A; *malus spiritus* B, edd.] *postea vertit in alium virum, in apostatam scilicet.*

Sanum est, quod A praebet, *mali spiritus.* Nam hic mali, i. e. diaboli spiritus opponitur dei spiritui. Eo in errorem inducti sunt viri docti, quod supra de sancto et malo spiritu locutus erat auctor.

c. 12, p. 317, v. 6: *Denique et ipse* [Aristoteles scil.] *definitionem animi cum differret, interim alterum animi genus pronuntiavit, illum divinum, quem rursus et impassibilem subostendens abstulit et ipse, cum a consortio animae.*

Sana esse puto quae traduntur deleto scilicet illo *et* ante *ipse,* quippe quod facillime inrepere potuerit, cum ex iteratione syllabae — *it,* tum quia *et ipse* paulo ante exaraverat

librarius. Supplendum enim est breviloquentiae illius Tertullianeae ratione habita: *cum a consortio animae* auferret. Cf. exemplum illud egregium, quod attuli ad p. 380, v. 25 (vd. infra p. 76!) At Reiff. scripsit: *quem rursus et impassibilem subostendens abstulit et ipsum a consortio animae.* Quod ego quidem me non intellegere ingenue confiteor.

c. 17, p. 325, v. 1: — *Furiis? **Qui** redundantia fellis auruginant, **amara** sunt omnia.*

Haec sane omni sensu carent. Quomodo enim homines auruginantes dici possunt amara? Plane scribendum est: — *Furiis? ⟨**Iis**⟩, qui — **auruginant**, amara sunt omnia.* Unde enim omissio orta sit, liquet.

c. 24, p. 337, v. 26: Agitur de opinione illa Platonis, qua animae ex altera quadam vita in hanc traductae nascendo quidem idearum obliviscantur, paullatim vero earum recordentur. Adversarium Academicum sic interpellat Tert.: *Natura compotem animam facis idearum illarum an non? Immo natura, inquis. Nemo ergo concedet naturalem scientiam naturalium excidere artium. Excidet studiorum, excidet doctrinarum, disciplinarum; excidet fortasse et ingeniorum et affectuum.*

Paullo aliter distinguendus erit locus. Sic enim scripserit auctor necesse est: — *naturalem scientiam naturalium excidere. Artium excidet, studiorum; excidet doctrinarum, disciplinarum; excidet fortasse* —. Primum enim, quis non videat symmetricam esse sententiam et cum unaquaque ἀναφορᾷ bina vocabula coniuncta esse: *doctrinarum, disciplinarum; ingeniorum, affectuum?* Ergo et *artium, studiorum.* Sed et hoc planum est, non de *naturalibus artibus* loqui Tert., sed simpliciter de *naturalibus.* Dicit enim (p. 338, v. 5):

Naturalium vero scientia ne in bestiis quidem deficit. Et rursus (p. 338, v. 9): *Mores bestiam relinquent, scientia naturalium permanebit.* Denique in c. 38 (p. 364, v. 25 sqq.) haec legimus: — *omnia naturalia animae ipsi substantiae inesse* —, *sed paullatim — procedere et varie per accidentia evadere pro artibus, pro institutis, pro locis* —. Similiter et in c. 20 (p. 333, v. 3 sqq.): *Quanto magis de accidentibus habebuntur quae* (animam scil.) — *acuunt vel optundunt. Acuunt doctrinae disciplinae artes experientiae negotia studia.* — Dubitari igitur nequit, quin artes a Tertulliano non inter naturalia animae, sed inter accidentia computentur.

c. 24, p. 338, v. 17 sqq.: *Perinde et homini, omnium* (scil. animalium) *forsitan obliviosissimo, inoblitterata perseverabit sola scientia naturalium, ut sola scilicet naturalis, memor semper manducandi in esurie et bibendi in siti et oculis viden**dum** et auribus audien**dum** et naribus odoran**dum** et ore gustan**dum** et manu contrectan**dum**. — Igitur si naturalis scientia sensualium permanet, quomodo intellectualium — intercidit?*

Verba *et oculis videndum — et manu contrectandum* ex structura excidere recte sensit Reiff., qui: *videndi — audiendi — odorandi — gustandi — contrectandi* suspicatus est. Verum hoc non tradita sanare est, sed plane vim eis inferre. Equidem haec sic restituerim —: *memor semper* ⟨*erit*⟩ *manducandi in esurie et bibendi in siti:* ⟨***sci***⟩***et*** *oculis videndum — et manu contrectandum.* — Quod ad omissionem verbi *esse* attinet, conferat cui lubet de idolol. c. 12 (p. 43, v. 23): *Scit etiam famem non minus sibi contemnendam propter deum quam omne mortis genus.*

c. 25, p. 341, v. 6: Contendit Tert. iam fetum in ventre vivere seque movere. Cuius rei in testimonium feminas

vocat his verbis: *In ista namque specie nemo tam idoneus magister, arbiter, testis, quam sexus ipsius* [ita A B; *sexus ipsus* (sic!) Scaliger, *sexus ipsius* ⟨*sensus*⟩ Reiff.]. *Respondete matres, vosque praegnantes vosque puerperae* [bis *vosquae* A] *steriles et masculi taceant, vestrae naturae veritas quaeritur, vestrae passionis fides convenitur.*

Adnotat sane Hartelius (IV, p. 64): „Die Worte sind weder lückenhaft noch verderbt. Der Genetiv hängt von den vorausgehenden Nominativen ab: nemo tam idoneus — testis quam testis sexus eiusdem oder quam qui sexus eiusdem est.“ — Haudquaquam autem mihi persuasit vir doctissimus vel apud ipsum Tertullianum eiusmodi structuram ferri posse, praesertim cum facillima, immo nulla fere adhibita medela locus sanari possit. Scribas enim velim: *nemo tam idoneus — testis, quam sexus ipse. Vos respondete, matres, vos, quae praegnantes, vos, quae puerperae* —. In codice fuit *ipseūs*, quod ab *ipsius* discerni vix potest. Similem corruptelam invenies p. 263, v. 14, ubi in B ex *emūdat ūs* factum est *emūdādus*. — Ceterum cum A scripsi: *vos, quae*, quoniam non praeter matres praegnantes quoque ac puerperae interpellantur, sed matres tantum, quae (i. e. quia) praegnantes sunt et puerperae.

v. 23 sqq.: Pergit auctor ad rationis quoque argumenta, quibus demonstret iam in utero infantes vivere: *si alimonia inedia crementa decrementa pavor motus tractatio est animae, his qui fungitur vivet. Denique desinit vivere qui desinit fungi. Denique et mortui eduntur; quomodo si* [*si* A; *nisi* B, edd.] *et vivi? Qui autem et mortui, nisi qui prius vivi? Atquin et in ipso adhuc utero infans trucidatur* —.

Recte quidem sensit Hartelius (IV, p. 64), si legatur: *Quomodo nisi et vivi?*, id unum idemque esse atque ea, quae sequantur: *qui — mortui, nisi qui prius vivi?* At quod ipse

vult: *denique desinit vivere qui desinit fungi, denique et mortui eduntur. Quomodo nisi ut vivi?* — „d. h. die Geburten todter Kinder gehen auf dieselbe Weise vor sich, wie die lebender —“ mihi quidem, quod ad rerum naturam non minus quam ad sententiam attinet, parum aptum esse videtur. Nam equidem vix dubitaverim verba *denique et mortui — si et vivi?* adversarii esse, haec fere obicientis: atqui, si omnes infantes iam in utero viverent, nulli mortui nasci possent. — Itaque ab Agobardini lectione exorsus haec suspicor: *Sed enim et mortui eduntur; quomodo si ut vivi?* Quae sic verto: Aber es werden ja auch todte geboren: wie das, wenn sie doch ⟨schon⟩ als lebende geboren werden sollen? Illud vero *denique* non corruptelam sed ex dittographia ortum esse arbitror; librarius enim litteris *deni,* quae occurrunt in verbis *sedenim* conspectis statim *denique* scripsit, quod supra exaraverat. — Item in responso quoque Tertulliani illud *et* ante *mortui*, „welches (ut recte monet Hart.) jeder Beziehung ermangelt“, delendum puto; iteratum enim est a librario ex sententia priore, ubi recte scripserat: *et mortui.* Scribas ergo velim: *qui autem mortui, nisi qui prius vivi?*

c. 27, p. 345, v. 2: Quaeritur: *quomodo igitur animal conceptum? Simulne conflata utriusque substantia, corporis animaeque, an altera earum praecedente?* Simul eas conceptas esse vult Tertullianus: *Recogita enim de novissimis prima* [*prima* B, A hoc loco deficit; *primum* Reiff.]. *Si mors non aliud determinatur quam disiunctio corporis animaeque, contrarium morti, vita, non aliud definietur quam coniunctio corporis animaeque.*

Mutilavit Reiff. mutatione satis inutili dilucidam et plenam sententiam. Dicit enim auctor: de novissimis, i. e. de morte, recogita prima, i. e. conceptum.

c. 28, p. 346, v. 27: *Quis ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu —? Pythagoricus, ut volunt quidam; divinum Albinus existimat; Mercurii forsitan Aegyptii. Sed nullus sermo divinus nisi dei unius, quo prophetae, quo apostoli, quo ipse Christus intonuit.*

Procul dubio corrigendum esse arbitror: *nisi dei uni⟨c⟩us.*

c. 32, p. 354, v. 22: Redarguere cum vult Tert. doctrinam illam metempsychoseos, ostendit animam in animalia transire non posse nisi demutatam: *Enimvero si demutationem capit, amittens quod fuit, non erit quae fuit, et si, quae fuit, non erit, soluta est metensomatosis, non adscribenda scilicet ei animae, quae, si demutabitur, non erit* [ita A B; *non erit ⟨quae fuit⟩* Reiff.]. *Illius enim metensomatosis dicetur, quaecunque eam in suo statu permanendo pateretur. Igitur si nec mutari potest, ne non sit ipsa, nec permanere in statu quia contraria non capit, quaero adhuc causam aliquam fide dignam huiusmodi translationis.*

Nulla prorsus cogente necessitate addidisse puto Reifferscheidium verba *quae fuit.* Sententia enim haec: nulla metensomatosis est, nisi una eademque anima manet. At non manet, immo alia fit et eo ipso perit, quae demutatur. Haec sic exprimuntur: metensomatosis ei animae non adscribenda est, quae, cum demutatur, non erit, h. e. iam desierit esse. Quod ad sententiam attinet, cf. de carn. Christ. c. 3 (Oehl. II, p. 429. 27): *Plane natura convertibilium ea lege est, ne permaneant in eo, quod convertitur in eis, et ita non permanendo pereant, dum perdunt convertendo quod fuerunt.*

c. 33, p. 356, v. 26 sqq.: Agitur de iustitia humana, quippe quae maleficos omnimodo cruciet: *Sed et si anima praefugerit ultimo gladio, ne corpus quoque evaserit ferrum —. Inde in ignem datur, ut et sepultura puniatur. Aliter denique non licet. Nec tamen tanta est rogi cura, ut reliquias aliae*

bestiae inveniant; certe nec ossibus parcitur nec cineribus indulgetur nuditate plectendis.

Non bene se habere illa *nec tanta — rogi cura, ut reliquias — bestiae inveniant* recte sensit Reiff., qui scribebat *ut ⟨ne⟩*. Ego autem magis adsentiar viro doctissimo van der Vliet (p. 91) scribenti: *ut bestiae ⟨non⟩ inveniant.* — Verum sententiam quoque mutandam esse censet Kroym. (p. 112). Scribit enim: — *Inde ⟨nec⟩ in ignem datur, ut et sepultura puniatur (aliter denique non licet, nec tamen tanta est rogi cura), ut reliquias aliae bestiae inveniant.* Hoc enim argumento utitur: „Fieri non potest, ut coniungatur: inde in ignem datur, ut et sepultura puniatur. Omnes enim mortui in ignem dantur; poena igitur hoc non potest esse.“

Sane audio, omnes in ignem dantur: ethnici scilicet. Christianos vero in ignem non dari quis est qui nesciat? Certissime autem hoc loco de corporibus concrematis loquitur auctor, cum dicit: *nec cineribus indulgetur;* nisi enim concremata sunt, unde venere cineres? Denique verbis expressis altero quoque ipsius huius libri loco dicit Tert. se concrematum cadaver pro poena corporis habere. In c. enim 51 contendit cum philosophis quibusdam, qui ideo mortuos in ignem dari nolunt, ut *superfluo animae,* i. e. alicui animae particulae in corpore post mortem remanenti parcatur. Adicit autem (p. 383, v. 1): *Alia est autem ratio pietatis istius, non reliquiis animae adulatrix, sed crudelitatis etiam corporis nomine aversatrix, quod et ipsum humo* [*humo* Hart. in nota editionis; *homo* A B et idem IV, p. 86], *non utique mereatur poenali exitu impendi.* Iam, opinor, satis apparet sensu cassas esse Kroymanni immutatiunculas.

p. 357, v. 21: Doctrinam metempsychoseos inridens: *Damnatus est igitur Homerus in pavum honoratus* [*honoratus* A B;

non honoratus Bmg., edd. omnes] *plus de saeculi remuneratione gaudebit pater habitus liberalium disciplinarum ut malit famae suae ornamenta quam caudae.*

Sic editores scripserunt atque distinxerunt: *Damnatus est igitur Homerus in pavum, non honoratus. Plus de saeculi remuneratione gaudebit, pater habitus* —. Puto et codicum lectiones servatas interpretationem aliquam admittere mutata distinctione: *Damnatus est igitur Homerus in pavum, honoratus plus de saeculi remuneratione: gaudebit, pater habitus liberalium disciplinarum, ut malit famae suae ornamenta quam caudae.* Accedit, quod qui *non honoratus* scribit mente suppleat necesse est: *in pavum.* Verum *in pavum honorari* nihil esse liquet.

c. 34, p. 358, v. 26: *Nam et Simon Samarites, in actis apostolorum redemptor spiritus sancti, posteaquam damnatus ab ipso* [*ab ipso* A B; *ab apostolo* Mercerus, Reiff.] *cum pecunia sua interitum frustra flevit* —.

Puto retineri posse verba *ab ipso*, si ad spiritum sanctum referantur.

c. 35, p. 360, v. 17 sqq.: *Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχύ ἕως ὅτου εἶ μετ' αὐτοῦ ἐν τῇ ὁδῷ· μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ καὶ ὁ κριτὴς τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ. Ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην.* Haec verba domini (Matth. 5, 25—26) allegorian dicit Tertullianus *certis interpretationibus relucentem et primo quidem simpliciter intellegendam. Nam et ethnicus homo adversarius noster est, incedens in eadem via vitae communis. Ceterum opportebat nos de mundo exire, si cum illis conversari non liceret. Huic ergo boni* [*boni* A; *bonum* B, edd.] *animi praestes iubet* [*iubet* om. A] — *diligite enim* [*enim* om. A] *inimicos vestros, inquit, et orate pro maledicentibus vos* —, *ne*

aliquo commercio negotiorum iniuria provocatus abstrahat te ad suum iudicem, et in custodiam delegatus ad exsolutionem totius debiti arteris. Tum si in diabolum transfertur adversarii mentio ex observatione comitante cum illo quoque moneris eam inire concordiam, quae deputetur ex fidei conventione; pactus es enim renuntiare ipsi et pompae et angelis eius. Convenit inter vos de isto. Haec erit amicitia observatione sponsionis, ne quid eius postea resumas ex his quae eierasti —.

Primum quid sibi velint quae vulgo leguntur: *Huic ergo bonum animi praestes,* prorsus me nescire fateor. Neque enim de praestando agitur in verbis Graecis *(ἴσθι εὐνοῶν ταχύ)* nec de bono animi. Recte enim illum Evangelii locum intellexisse opinor Lutherum nostratem, cum verteret: Sei willfertig. Sed non de praestando dominum hic locutum esse, sed de benevolentia ipse quoque sensit Tert., cum infra, in diabolum adversarium interpretatus, dicat: *eam — concordiam inire moneris,* et rursus: *haec erit amicitia —.* Quae cum ita sint, scribendum puto: *Huic ergo boni animi praesto esto,* quae accuratissime vertant Graeca *εὐνοῶν ἴσθι ταχύ.* Sic autem ortam esse corruptelam arbitror, ut littera *o* primum omissa librarius quid sit *praestesto* nesciens etiam syllabam *to* ut supervacaneam omiserit.

Praest⟨o⟩ es vel *praest⟨o⟩ es⟨se⟩ iubet* Stowass.

Sed iam ad alterum locum veniam eumque multo difficiliorem, verba dico: *Tunc si in diabolum transfertur adversarii mentio ex observatione comitante cum illo quoque moneris eam inire concordiam —.* Adnotat Oehlerus (II, p. 615): „Vulgata distinctio — est: *mentio, ex observatione comitante cum illo —,* quae sanam sententiam admittit nullam. *Comitante* iungendum est cum *illo,* non cum *observatione;* exprimitur enim illa voce illud Evangelii: dum est cum illo in via. Observationem autem dicit observationem vocis dominicae: esto consentiens

adversario tuo.“ Distinguit ergo ipse: *Tum si in diabolum transfertur adversarii mentio, ex observatione* (scil. praecepti) *comitante cum illo — moneris inire concordiam.*

Et id quidem recte Oehlerum sensisse crediderim, illud *comitante* ad comitationem in via referendum esse. Omnino autem haec verba conferenda sunt cum iis, quibus priorem interpretationem induxerat Tert. Sunt autem haec: — *et ethnicus homo adversarius noster est, incedens in eadem via vitae communis.* Hic igitur non id tantum ostendit, ethnicum esse adversarium in via comitantem, sed et quomodo comes dici possit, verbis scilicet: *in eadem via vitae communis.* Tale vero orationis membrum loco nostro, ut vulgo quidem legitur, videtur deesse. Quae cum ita sint, hac potissimum ratione Tert. verba restitui posse putaverim: *Tum si in diabolum transfertur adversarii mentio, ex observatione comitantem, cum illo quoque moneris eam inire concordiam* —. Quae vertendo melius quam interpretando explicabuntur: — auf den Teufel, der ja insofern dein Begleiter heißen kann, als er dich stets mit seinen Späherblicken begleitet.

c. 37, p. 363, v. 22: De mysterio quodam, quod putat, disserens: *ut decem menses* (scil. inter fetum conceptum et editum decurrentes) *decalogo magis inaugurent — hominem, ut tanto temporis numero nascamur, quanto disciplinae numero renascimur.*

Scribere vult Hart. (IV, p. 74): ⟨*de*⟩ *decalogo* sic argumentatus: „Die Hinzufügung von *de* ist unumgänglich, da der bloße Ablativ nicht bedeutet, was hier erforderlich ist, nämlich: secundum decalogum.“ Attamen ego adsentiri non possum viro doctissimo, cum aliam sententiam auctoris esse putem; coniungendum scilicet: *inaugurent decalogo* = consecrent vitae secundum decalogum. Itaque *decalogo* dativus accipiendus erit.

c. 40, p. 367, v. 14 sqq. Haec exstant in A: *Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tamdiu immunda, quamdiu in mundo* [*in mundo* Fr. Leo apud Kroym. p. 115; *recenseatur* libri]; *peccatrix autem, quia immunda recipiens ignominiam ex carnis ex societate nam etsi caro peccatrix, secundum quam incedere prohibemur —, non tamen suo nomine caro infamis.*

Agobardini lectionem duobus tantum iisque parvulis mendis laborare puto. Scripsit enim auctor, ni fallor: *peccatrix autem* (scil. anima), *quia immunda, nec capiens ignominiam ex carnis* (scil. ignominia). *Ex societate enim etsi caro peccatrix —, non tamen suo nomine caro infamis.* — Ad corruptelam *recipiens* pro *nec capiens* cf. p. 351, v. 21, ubi *recedendis* pro *nec edendis* praebet idem Agobardinus.

Viri docti autem magis magisque mutantes haec scripserunt: *recipiens ignominiam ex carnis societate* Gangn. (B), Pam., Gel., Rig.; *respuens ignominiam suam et in carnem et societatem* Bmg; *respuens ignominiam suam et in carnem ex societate* Oehl., Kroym. p. 115; ⟨*nec*⟩ *recipiens ignominiam ex carnis societate* Reiff.

c. 43, p. 370, v. 17: *Sed nec refrigescentiam admittam* (*somnum esse* scil.) *aut marcorem aliquem caloris, cum adeo corpora somno concalescant, et* [*et* recte Gel.; *ut* A B] *dispensatio ciborum per somnum non facile procederet, calore properabilis et rigore tardabilis, si somno refrigeraremur.*

Traditum est: *properabili — tardabili* [*et rigore tardabili* omisit A], quae corrigas quaeso.

c. 44, p. 373, v. 2: *Ceterum de Hermotimo. Anima, ut aiunt, in somno carebat, quasi per occasionem vacaturi nominis proficiscente de corpore.*

Ita A B. *Vagaturi* pro *vacaturi* coni. Gel., *luminis* pro *nominis; hominis* maluerunt Rig., Reiff., Hart. (IV, 78/9), qui in nota editionis proposuerat *in somnis,* nunc autem multis allatis exemplis ostendit saepissime *vacare* apud Tert. idem fere esse quod *esse desinere.* — Atqui illud *quasi,* quod antecedit, satis docere mihi videtur hic dictum aliquod acutissimum latere, immo inludere scriptorem adversariorum opinioni. Quam ob rem parum violenta adhibita medela haec eum scripsisse suspicor: *quasi per occasionem vacaturi muneris proficiscente de corpore,* quod nostrum fere est: die Seele, die dargebotene Gelegenheit eines Urlaubs begierig ergreifend, entfernt sich im Schlafe; *vacare* enim, ex ipsius Hartelii sententia, *cessare* est. — Si autem aliquis audacius procedere velit, forsitan haec ei placeant: *quasi per occasionem, vacaturae nomine, proficiscente de corpore.* Vox enim *vacatura* alias non exstat; usurpari tamen a Tertulliano potuit pro *vacatio* sicut *paratura* saepissime pro *paratio* vel *apparatus.*

c. 50, p. 380, v. 25: *Satis de speculo mortis, id est de somno, cum etiam de negotiis somni, id est de somniis.*

Ita recte A B; mente enim supplendum est: *satis* (retractavimus). Nescio igitur, cur viri docti Ursinum secuti *tum* reposuerint pro *cum.* Quod enim ad ellipsin, quam dicimus, pertinet, plurima quidem exempla afferri possent; cf. tamen e. gr. de resurr. carn. c. 33 (Oehl. II, p. 508. 4): *Quodsi ad Iudaeos in parabolis* (scil. *locutus est Iesus), iam non ad omnes; si non ad omnes in parabolis, iam non semper nec omnia parabolae* (scil. *ad omnes), sed quaedam, cum ad quosdam.*

p. 381, v. 5 sqq.: *Publica totius generis humani sententia mortem naturae debitum pronuntiamus. Hoc stipulata est dei vox,*

UNIV. OF CALIFORNIA

hoc spopondit omne quod nascitur; ut iam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere, sed haeretici magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad nos non modo non pertinere, verum nec pervenire.

Nihil esse quae traduntur persuasum mihi est. Cur enim, quaero, non suffundatur Epicuri stupor? Medela autem obvia est. Sententia enim haec sit necesse est: — ut non solum Epicuri stupor suffundatur, sed etiam Menandri furor conspuatur. Itaque scribas velim: *ut iam hinc non Epicuri stupor suffundatur* ⟨*tantum*⟩, — *sed* ⟨***et***⟩ *haeretici* — *furor conspuatur* —. *Tantum* enim, si *tātū* in codice fuit, post *suffun**datur*** facile intercidere potuit.

c. 52, p. 383, v. 29: *Hoc igitur opus mortis: separat**io** carnis atque animae. Seposita quaestione fatorum et fortuitorum bifariam distinxit* (opus mortis scil.) *humanus affectus* —.

Ita A B. Editores vero falso, ut opinor, distinguentes haec scripserunt: *Hoc igitur opus mortis, separat**ionem*** — *seposita quaestione* — *bifariam distinxit* —.

c. 57, p. 391, v. 23 sqq.: *Quid ergo dicemus magian? Quod omnes paene, fallaciam. Sed ratio fallaciae solos non fugit Christianos, qui spiritalia nequitiae, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia novimus, nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanae, totius erroris artificem, salutis pariter animaeque vastatorem, sic etiam magiae, secundae scilicet idololatriae, in qua se daemones perinde mortuos fingunt quemadmodum in illa deos.*

Ita A B. Editores autem Ursinum secuti haec recipiebant: — *salutis pariter animaeque vastatricem, scientiam magiae* —. Sed recte iam sensit Kroym. (p. 120) luem illam ipsum

esse diabolum; qui tamen mihi non satisfecit coniciens: — *animaeque vastatorem. Sic etiam magiae* ⟨*obnitimur*⟩ —. Duobus enim orationis membris transpositis locus sanus est. Scripsit, ni fallor, Tert.: *multiformem luem mentis humanae, salutis pariter animaeque vastatorem, totius erroris artificem,* ***sic*** *etiam magiae* (scil. artificem) —.

De tali usu voculae *sic* cf. de carn. Christ. c. 3 (Oehl. II, p. 429. 35): *Alioquin par erit eorum—, quorum utique in omnibus par non est,* ***sic*** *nec in exitu conversionis.* Ea quoque conferenda sunt, quae supra de simili usu vocis *ita* attuli (vd. p. 26.)

c. 57, p. 393, v. 19 sqq.: *Non magis mortuos vere patimur in somnis quam vivos, si eadem ratione mortuos, qua et vivos et omnia, quae videntur. Non enim quia videntur, vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renuntiatur.*

Quae omnia, ut in A exstant, sana et satis perspicua sunt, quam ob rem merito servavit ea Rig. — Contra viri docti haec coniecere: *sed eadem ratione* Gangn., edd. omnes praeter Rig.; *et omnia, quae videntur vera sunt. Non enim, quia videntur* —. Gangn.; *at somnia, quae videntur, vera sunt. Non enim* — Gel., Pam.; *qua et vivos et omnia quae videntur. Non enim quia videntur* —. Oehl.; postremo Reiff. haec: — *qua et vivos. Nec omnia, quae videntur, vera sunt. Non enim, quia videntur, vera sunt, sed quia adimplentur.*

Appendix.

Apologetici c. 2, p. 116 (Oehl. I): *Sed Christianis solis nihil permittitis loqui, quod iudicem faciat non iniustum [faciat non iniustum* scripsi; *non faciat iniustum* libri], *sed illud solum spectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando, si de alio quo nocente [alio quo nocente* scripsi; *alio nocente* Gel. Pal.; *aliquo nocente* libri, edd. reliqui] *cognoscatis, non statim* —.

p. 123: *Denique quid de tabella recitatis illum Christianum? Cur non et homicidam? Si homicida Christianus, cur non et incestus et quodcunque aliud nos esse creditis?*

Procul dubio scribendum est: *Cur non et homicidam* (scil. recitatis), *si homicida Christianus? Cur non et incestum et quodcunque aliud nos esse creditis?*

c. 48, p. 295: *Et hoc erit testimonium ignis aeterni* —. *Montes uruntur et durant. Quid nocentes et dei hostes?*

Scribendum puto: *Quid⟨ni⟩ nocentes* —?

de Corona c. 8, p. 436: *Primus litteras Mercurius enarravit.*

Scribendum erit: *exaravit.*

Addenda.

Ad p. 43 l. 7: Conferendum quoque erit de resurr. carn. c. 5 (Oehl. II, p. 474): *Et finxit deus hominem,* ***limum*** *de terra.* (**Gen.** 2. 7.). *Iam homo, qui adhuc limus —.*

Ad p. 48 l. 4: Ad structuram cf. de anima c. 9 p. 312, v. 8: *A primordio enim in Adam concreta et configurata corpo**ri** anima —.* Nec non adv. Valent. c. 1 (Oehl. II, p. 382 not. m): haeretici — *vanissima atque turpissima figmenta configurantes facili caritati* „fratrum scilicet sive fidelium, — quae omnia suffert, omnia credit" (Rigalt.).

Ad p. 61 l. ult: *caliginosas* suspicatur pater Theodorus coll. Aug. Ep. 7 a med: *Hoc me facere compellit de animae exortu caliginosissimae quaestionis obscuritas.*

Ad p. 63 l. 18: Forsitan servari possit *obnoxi**um**,* coll. p. 345 v. 3: *contrari**um** morti, vita.*

Vindobonae typis expresserunt Amadeus Gistel et soc.

THIS BOOK IS DUE ON THE LAST DATE
STAMPED BELOW

AN INITIAL FINE OF 25 CENTS
WILL BE ASSESSED FOR FAILURE TO RETURN
THIS BOOK ON THE DATE DUE. THE PENALTY
WILL INCREASE TO 50 CENTS ON THE FOURTH
DAY AND TO $1.00 ON THE SEVENTH DAY
OVERDUE.

AUG 18 1939	
AUG 19 1939	

LD 21-20m-5,'39 (9269s)

Tertulliana 266484 BR65 T59G6

AUG 19 1939 Engaged AUG 5 1939

266484

Hornpeary

BR65

T59G6

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

YC159810